DEI TER OPT. MAX. AUXILIO
ac
Magnifici JCtorum Ordinis
Gratiâ,
ſub
PRÆSIDIO
*VIRI NOBILIS*
DN. HEINRICI Linckens/
U. J. D. Fautoris ſui honoratiſſimi,
Diſcurſum hunc Juridicum
*DE*
# INCENDIIS,
Von
# Feuersbrunſten/
*IN*
Alma Salana
*Menſ. Aug. 1669.*
H. L. Q. C.
*Publicæ Diſquiſitioni*
*exhibet*
JOHANN. WOLFGANG. Engelſchall/
Schlaizâ Variſc.
AUTOR & RESPONDENS.

*JENÆ*
TYPIS SAMUELIS KREBSII.

B. k. II, 348.
K. 68, 2.
II k 3856
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)
BIBLIOTHECA PONICKAVIANA
(X 1880459)
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-9575-p0001-5

*Q. D. B. V.*

# Prœmium.

ORnatiſſimum atque opulentiſſimum Dianæ templum, quod admirationem Græcæ Magnificentiæ Plinius vocat & inter mundi miracula refert, homo quidam nefarius incendit, raptus æternitatis perpetuæque famæ cupidine. Et licet Epheſi, ne tanti ſceleris ſperatum fructum conſequeretur, Edictis prohibitum fuerit, ne quis eum nominaret, fruſtra tamen hoc factum eſt, cum nomen ejus ſufficienter cognitum ſit. Huic Incendiario æquiparandus venit Nero, qui quaſi offenſus deformitate veterum ædificiorum, Urbem ſepticollem aliquot incendit locis. Per ſex dies ſeptemq; noctes ille ignis graſſatus eſt. Tunc, ſunt verba Suetonii in Vitâ Neronis *cap. 38.* præter immenſum numerum Inſularum, domus priſcorum Ducum arſerunt, hoſtilibus adhuc ſpoliis adornatæ Deorumque ædes ab Regibus ac deinde Punicis ac Gallicis bellis votæ dedicatæque, & quicquid viſendum atque memorabile ex antiquitate duraverat. Hoc incendium è turri Mœcenatiana proſpectans lætusque, ut ajebat, pulchritudine, ἅλωσιν Ilii in illo ſuo ſcenico habitu decantavit. Horrendum ſanè hoc factum eſt. Quid enim gravius & atrocius, quàm igne accendere domus, aut alia bona, unde tam irreparabile exoritur incendium paſſis di-

ſpendium; Ipſis incendiariis verò ne minimum quidem compendium? Fures, latrones, prædones ex ſcelere aliquid commodi aut conſequuntur aut ſaltim venantur; Incendiariis verò ex facinore nihil accreſcit. In aliis multis ſceleribus expletur utcunq; delinquentium voluptas; Sed in incendio incendiarius nihil utilitatis, nihil voluptatis conſequitur, ut non immerito Pontifex peſſimam & depopulatricem horrendamq; Incendiariorum malitiam deteſtetur *c. 32. qu. 8.* Nihilominus carc inomata generis humani quamplurima extare videmus, qui veſtigia famoſiſſimorum jamdum relatorum Incendiariorum premunt, ac hodienum incendia tanta procurant, ut ullâ antea ætate crebriora & frequentiora vix fuerint, uti conqueritur Andr. Rauchbar. *p. 2. qu. 10. pr.* Non tamen omnia incendia malitiâ hominum proveniunt, ſed quandoque culpa, quandoque etiam DEUS Ter Opt. Max. ad vindicanda hominum flagitia miniſterio ſuorum Elementorum utitur, dum unam atque alteram regionem aqua emergens ſuo impetu abripit & deſtruit, aliam aër venenatus inficit, aliam ignis perdit. Exempli loco ſint civitates Sodomitarum, quæ igne & ira cœleſti tactæ, ſuis jam jacent ſepultæ cineribus, & quondam undique refertæ incolis, in horrendas verſæ ſolitudines jam deſertæ lugent. Sed quid peregrina adducam? Nobis domi, proh dolor! exempla abunde ſunt obvia, ita ut experientia quotidiana ſufficienter edoceat, quomodo partim caſu fortuito, partim negligentia inhabitantium, partim etiam malitia hominum ſceleratiſſimorum incendia contingant. Quapropter cum per ea pax publica graviter violetur, ceu patet ex *l. 5. pr. ff. de vi publ.* non ſolum Incendiarii doloſi pœnâ gravi & atroci coercendi, ſed etiam ſingularis adhibenda erit diligentia, ut, quantum poſſibile, malum hoc è Rep. extermi-

nari poſſit. Quam exquiſitam Romani ignis habuerint curam vel Digeſta noſtra docent. Licet enim de Incendiorum materia nullus in Jure noſtro reperiatur locus, in quo ea ex profeſſo & plene tractetur; Sparſim tamen & nunc hic nunc alibi incendiorum ſæpius fit mentio, uti ex ſolo *tit. ff. de off. Præf. Vigil.* fuſius liquet; Cumprimis vero ex Valer. Maxim. hoc patet. Ille ſiquidem *lib. 8. c. 1.* refert: M. Mulvium, Cn. Lollium, L. Sextilium Triumviros, quod ad incendium in ſacra via ortum extinguendum tardius venerant, à Tribunis Plebis ad populum dicta die damnatos fuiſſe. Parem cum his ſeveritatem P. Villius Triumvir nocturnus expertus, cum quidpiam diligentiæ circumeundo vigilias remiſiſſet. Id. *d. l.* Hodie à Superioribus cujuscunque loci non minorem ignis curam geri, exinde colligendum eſt, quod variæ prodierint Ordinationes, Germ. dictæ Feuer-Ordnungen/ in quibus, quid circa incendia tum præcavenda, tum extinguenda obſervandum, ſaluberrime diſpoſitum eſt. Et quia funeſta hæc & luctuoſa, ampla tamen & profunda materia, uti denominatur à Virg. Pingitz. *qu. Sax. 24. in pr.* & Finckelth. *Obſ. 89. pr.* in foro præter voluntatem tractanda; Hinc eam pro Exercitio Academico elaborandam ſuſcepi, ita quidem, ut illa, quæ in Jure noſtro de Incendiis ſparſim propoſita ſunt, in Diſputationis hujus curſu, quaſi in Synopſi, cum Uſu forenſi, placidæ Eruditorum diſquiſitioni hac methodo ſubjiciantur, ut ante omnia *Definitio & Diviſio Incendii*; Deinde *quæ in Jure noſtro & Moribus hodiernis circa incendia tum præcavenda tum extinguenda ſunt cauta*; Poſtmodum *pœna, qua Incendiarii plectuntur, & damni incendio dati perſecutio*; Denique *notabilia nonnulla proponantur*. Ut autem hic Labor eò felicius progrediatur, ad inſtar nautæ, qui ventis non niſi ſecundis portu ſolvit,

elaborationem hujus Diſſertationis, ſecundum Imperàtoris noſtri monitum, quod habetur in *l. 2. C. de off. Præfect. Prætor Afric.* in Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſuſcipio. Faxit Sacro Sancta Trias, hoc fiat feliciter!

## Caput I.

### De Definitione & Diviſione Incendii.

§. 1.

Etymologia Incendii.

Cùm teſte Reinking. *de R. S. & E. lib. 1. Claſſ. 1. pr.* ibique *allegator.* rei propoſitæ vim illuſtret ejus Etymologia, & verba notæ ſint rerum, juxta Baldan. *in l. 5. C. de Injur.* unde nec onomatologia præſertim in Diſſertationibus publicis prætermittenda videtur. Verum cum cuilibet ſatis obvium ſit, unde vocula: *Incendium*, deſcendat & præterea ex Lexicographis ſufficienter cognoſci poſſit, operæ pretium haud ducimus, ut ejusmodi Etymologicis tricis inhæreamus. Synonymice incendium dicitur incenſio, German. eine Feuersbrunſt oder Anzündung.

§. 2.

Definitio Incendii.

Pergimus itaque ad definitionem Incendii, tanquam potiſſimam rei, quæ tractatur, partem, juxta Everhard. *in Top. loc. à defin.* Hanc vero Incendii definitionem exhibet Vultej. *Juriſpr. Rom. lib. 1. c. 49. n. 37.* quod ſit damnum, igni culpa alterius excitato aut ſuppoſito datum. Verum an hæc definitio totam exhauriat Incendii materiam, merito dubitamus, cum tantummodo ad incendium culpoſum reſtricta ſit. Incendia quidem plerumque culpa quadam intercedente fiunt, *l. 3. §. 1. ff. de off. Præf. vigil. l. 11. ff. de*



*peric.*

*peric. & comm. rei vend.* Vid. *illa, quæ in poſterum latius dicturi ſumus*; Non tamen ſemper, nam & ſæpius dolo alterius, ſæpius etiam caſu fortuito Incendium exoritur, quod Experientia rerum magiſtra comprobat. Hinc potius Incendium in genere definiri poteſt, quod ſit damnum igni datum. Incendium ſane damnum eſſe plurimi magno ſuo malo edocti confirmant. Venit autem nomine damni non tantum præteritum, ad quod recuperandum actio L. Aquiliæ vel alia ſimilis competit, *l. 7. §. 1. ff. de damn. infect.* Sed etiam futurum, alias infectum appellatum, quod ex vitio ædium & operis vicini ſive in loco urbano ſive in ruſtico extimeſcimus. *l. 19. §. 1. ff. de damn. infect.* Qua propter non tantum Dominus, ſed & is, cujus periculo res eſt *l. 13. §. 8. ff. d. t.* hoc caſu, ſi forte vicinus ædificium vel fornacem ſtruxerit, cautionem de reſarciendo damno exigere poteſt, ſi periculum incendii ſubeſſe videatur. *l. 27. §. 10. ff. ad L. Aquil.* Porro ex hac noſtra definitione conſtat, quod Incendium vocandum non ſit, ſi quis ſtipulas vel alias res uri ſolitas eo loci, ubi nullum periculum eſt, nec ædificiis cæteriſque rebus eſſe poteſt, incendat; Licet Grammaticis Etymologiam ſequentibus & Phyſicis rei proprietatem indagantibus, imo quibusdam JCtis propter *l. 30. §. 3. ff. ad L. Aquil.* & hoc quoque Incendium ſit atque dicatur.

§. 3.

Definitionem excipit Diviſio Incendii; Et cum Incendium excitetur vel culpa vel ſine culpa. Hinc cum Hippol. de Marſil. *ad l. 1. in pr. ff. ad L. Cornel. de Sicar. n. 108.* & Angel. Aretin. *in tr. de malefic. verb. Incendiario.* Nonnulli duas conſtituunt ſpecies Incendii, culpatum ſc. & inculpatum. Culpam vero cum Vultej. *in Juriſpr. Rom. lib. 1. c. 7. n. 76.* & Delrio *ad l. 23. ff. de R. J.* duplicem efficiunt,

Diviſio Incendii.

ciunt, unam malitiæ, alteram imprudentiæ; Hinc Incendium culpatum rurſus duplex eſſe volunt, unum malitioſum, alterum culpatum in ſpecie ſic dictum. Verum licet allegati Dd. & Uldar. Zaſ. *in l.ſing. intell. Jur. c. & 3.* duas culpæ ſpecies, ignaviæ atque verſutiæ ſive malitiæ conſtituant, per *l.32.ff. depoſ. l.29. pr. ff. mand. l.1. §.1. ff. de act. emt. l.22. §.3. ad SCtum Trebell. l.1. §.2. ff. ſi is qui teſtam. lib. l. 1. §. 1. ff. ſi menſ. falſ. mod. dix.* Rectius tamen hæc diviſio improbatur à Coraſio *lib.1. miſcell. c.1.* & Bachov. *ad §. 2. Inſt. quib. mod. re contr. obl. n. 4. in fin.* Nulla enim culpa ex verſutia ſive malitia eſt, ſed omnis ex ignavia, negligentia & imprudentia procedit, ut ipſe Zaſ. fatetur; Culpa ſiquidem malitiæ doli machinatione carere nequit, per ea, quæ eleganter tradit Magn. Dn. Struv. *in Synt. Jur. Civ. Ex. 19. th. 19.* Add. Vinn. *ad §. 2. Inſt. quib. mod. re contr. obl. n. 11.* Hinc potius, miſsâ priori diviſione, pro diverſitate doli, culpæ & caſus aliud Incendium doloſum, aliud culpoſum aliud vero caſuale conſtituimus. Add. illa, quæ Dn. Hahn. *ad Weſenb. tit. de Off. Præf. vigil.* & Dn. Carpz. *in Pr. Crim. p. 1. q. 39. n. 27. & ſeq.* proponunt.

§. 4.

Incendium doloſum.

Doloſum ſeu malitioſum Incendium eſt, ſi quis dolo & ex propoſito ignem vel ſubjiciat, vel ſtudioſe non impediat, ut latius inimicitiarum aut prædæ cauſa ſerpere queat. *l. 28. §. 12. ff. de pœn. l. 9. l. fin. §. 1. ff. de Incend. ruin. naufr. l. 11. C. de his qui accuſ. non poſſ.* Vid. Mynſyng. *cent. 6. Obſ. 88. n. 5.* Schneidevv. *ad §. 13. Inſt. ad L. Aquil. n. 4.* Dn. Hahn. *ad Weſenb. cit. tit. de off. Præf. vigil.* Dn. Brunnem. *ad d. l. 11. C. de his qui accuſ. non poſſ.* Magnif. Dn. Struv. *Ex 49. th. 67.* Magn. Dn. Strauch. *ad Jus Juſtinian. Diſſ. 29. aphor. 10.* Homines, qui ejusmodi Incendium procurant, Incendiarii κατ᾽ ἐξοχὴν vocari poſſunt. *l. 10. ff. ad L. Cornel. de ſicar.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-9575-p0008-3

*Sicar.* German. Brenner oder Mordbrenner. Putat quidem Schneidevv. *ad d.* §. 13. *Inſt. ad. L. Aquil. n. verſ. de Jure vero Sax. &c.* diſtinguendum eſſe inter Incendiarium ſimplicem, einen Brenner ohne Mordt / & inter Incendiarium conductitium, quem denominat einen Mordtbrenner. Sed an hæc denominatio ſufficienter fundata ſit, merito dubitamus; Nullibi enim nec in textu, nec Gloſſa Juris Sax. illi Mordtbrenner vocantur, qui pro certa mercede operam ſuam ad facienda Incendia locant; Quin potius *Conſtit. Elect.* 17. *p.* 4. indiſtincte omnes, qui animo deliberato & doloſè incendunt, Mordbrenner vocat, adeo ut indifferentèr omnes Incendiarii German. Mordtbrenner appellari poſſit. Niſi quis aſſerere velit, quod Incendiarii ſeditioſi ſeu famoſi, die Mordtbrenner / incendium necandi ſpoliandique cauſa committant, & cum deprædatione hominum quoque exitium quærant; Simplices vero, ſive Brenner / nullo lucro ducti, ſolo odio & nocendi libidine rapti, domum vel prædium incendant, quæ diſtinctio non ſolum vocabulo Morden convenit, ſed etiam per *art.* 13. *lib.* 2. Landr. ubi die Mordbrenner cum latronibus & prædonibus conjunguntur, confirmari poteſt. Verba *d. text.* inter alia hæc ſunt: Alle Mörder und die den Pflug berauben / oder Mühlen oder Kirchen oder Kirchhöfe und Verräther und Mordtbrenner &c. die ſoll man alle radebrechen &c. Vid. B. Dn. Carpz. *in Pr. Crim. p.* 1. *q.* 38. *n.* 11.

An differentia ſit inter Brenner & Mordtbrenner?

§. 5.

Incendium culpoſum dicitur, quod ex culpa, negligentia & imprudentia eſt ortum. *arg. l.* 72. *ff. pro ſoc.* Dicitur autem culpa, quod ſit omne factum inconſultum, quo nocetur alteri, vel quod ſit læſio per imprudentiam alterius facta, quæ alias humanitus vitari potuiſſet. *arg. l.* 213.

Incendium culpoſum.

B §. 2.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-9575-p0009-3

§. 2. *ff. de V. S.* §. *pen. Inſt. quib. mod. re contr. obl.* Magn. Dn. Strauch. *Diſſ. 19. aphor. 1.* Add. Wiſenb. *Diſp. 4. ad tit. ff. de R. J. th. 6.* Atque ſic tum à dolo, tum à caſu fortuito ſecernitur. A dolo, quia dolus non eſt ſine conſilio & propoſito nocendi, culpa vero eſt ἀπροαίρετος; à caſu fortuito deſcernitur exinde, quia quod inconſiderate & per negligentiam fit, humanitus vitari & prudenti ac diligenti conſilio averti poteſt, unde culpa alio nomine negligentia dicitur. §. 3. *Inſt. Quib. mod. re contr. obl. l. 1.* §. 5. *de obl. & act. l. 72. ff. pro ſoc. d. l. 213.* §. *ult. de V. S.* Græcis ἀμέλεια dicta. Damna autem fatalia nec conſilio ſe regi patiuntur, nec humana prudentia averti poſſunt. Vid. eleganter Vinn. *ad* §. 2. *Inſt. quib. mod. re contr. obl. n. 7.* Add. Magn. Dn. Struv. *Ex. 19. th. 15. & 16.* Culpa quomodo diſtinguatur non adeo exactè conſtat; Meminerunt tamen Prudentes culpæ latæ, item levis & leviſſimæ, ita ut tribus æſtimetur culpa gradibus, prout quoque humanæ diligentiæ, cujus omiſſio eſt culpa, tres conſtituuntur gradus. Vid. *l. 47.* §. 5. *de legat. 1. l. 31.* §. *12. de Ædilit. Edict.* Magn. Dn. Struv. *d. Ex. th. 17.* Magn. Dn. Strauch. *cit. loc.* Nobilis. Dn. Bechmann / *ad ff. tom. 1. p. 2. Ex. 2. n. 22.* Conf Vinn. *cit. loc.* & Wiſenb. *alleg. Diſp. 4. th. 7.* Ideoque & nos Incendii culpoſi tres gradus eſſe putamus, ita ut illud interdum latâ, interdum levi, interdum etiam leviſſima ſuboriatur culpa. Vid. Mynſing. *cent. 6. obſ. 88.* Dn. Hahn. *ad Weſenb. tit. de off. Præf. vigil.* Angel. Aretin. *intr. de malef. verb. Incendiario. n. 2. & ſeq* Dn. Carpz. *p. 1. Pr. Crim. q. 39. n. 28. & ſeq.*

Diviſio Incendii culpoſi.

§. 7.

Incendium lata commiſſum culpa.

Lata culpa Incendium fieri dicitur, ſi ex ſumma alicujus & diſſoluta negligentia exoriatur. *l. 1.* §. *5. in fin. ff. de O. & A. l. 29. pr. ff. mand. l. 11. ff. de incend. ruin. naufr. l.*

226. *ff. de V. S.* Rauchb. *p. 2. q. 10. n. 9.* Dn. Carpz. *cit. qu. 39. n. 27. & 28.* Dn. Hahn. *ad Weſenb. cit. loc.* Lata igitur culpa in hac noſtra materia delinquit is, qui locum ignis fovendi & braxandi gratia deſtinatum ſtramine, fœno, cannabe aliisque ejusmodi rebus replevit, & ſic Incendio cauſam præbuit, quod merito prohibitum à Sereniſs. ac Celſiſs. Principe ac Domino, Dn. Erneſto, Duce Sax. Jul. Cliv. & Mont. &c. Deo noſtro clementiſs. in aurea Conſtitutione, inſcripta des Fürſtenthumbs Gotha Gemeine Feuerordnung/ *c. 1. art. 2. §. 3.* in verb. Holtz/ Stroh/ Hew/ Kohlen/ Hanff/ Flachs/ Schwefel/ Butter/ Speck und dergleichen fette Feuerfahende und brennende Sachen/ ſollen von den Orten/ wo man täglich oder zu gewiſſen Zeiten Feuer zu halten pfleget/ abſonderlich und nicht in die Nähe/ wenigers in die Kammern/ oder gar auff die Böden unter die Dächer/ ſondern an andere verwahrſame/ unbeſorgſame Oerter beygeleget werden/ &c. Culpa hæc lata paſſim per periphraſin dolo proxima in Jure noſtro dicitur. *l. 4. ff. de magiſtr. conven. l. 47. §. pen. de legat. 1. l. 8. §. 3. ff. de procur.* Hinc etiam in cauſis Civilibus, quibus de damnis reſarciendis agitur, dolo comparatur. *l. 29. pr. ff. mand. l. 7. §. 1. ff. de ſuſp. tutor. d. l. 47. §. pen. ff. de legat. 1.* Quamvis enim dolus & lata culpa per ſe differant, uti non ſolum ex definitione cujusdam, ſed etiam ex LL. quamplurimis, quibus ſeparatim proponuntur, apparet. Vid. *l. 8. §. 10. ff. mand. l. 2. C. de in lit. jur. l. 1. C. depoſ. l. 17. C. de negot. geſt.* Interim tamen cum præſumatur quis tantam negligentiam affectaſſe, & ſtudio neglexiſſe ea, quæ omnes homines curanda eſſe intelligunt, hinc quoad reſarcienda damna lata culpa Juris interpretatione pro dolo habetur. *l. 226. ff. de V. S. l. 32. ff. depoſ.* Bronchorſt. *cent. 2. Enant. aſſert. 30.* Magn. Dn. Strauch. *Diſſ. 19. aph. 2.* Wiſenb. *Diſp. 4. ad tit.*

Culpa lata quatenus dolo æquiparetur?



*ff. de*

*ff. de R. J. th. 8.* Si vero non de damni reparatione agitur, ſed actus vitioſitas attenditur, quam maxime dolus & negligentia, etiamſi magna ſit, diſcernenda. Quapropter in criminalibus dolus & lata culpa comparari nequeunt. Conf. *l. 7. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* ubi dolus & lata culpa ſignate diſtinguuntur. Plura negotia, in quibus differentia doli & latæ culpæ obſervanda, accurate proponit Magn. Dn. Struv. *Ex. 19. th. 22.* Jung. Weſenb. *in parat. ff. de his qui not. infam. n. 4.* Bronchorſt. *Cent. 3. aſſert. 19.* Dn. Ungep. *ad Inſt. Ex. 4. q. 17.* Ludw. *Ex. 3. th. 12. lit. H.* Barboſ. *ad l. 10. ff. ſolut. matrim. in præ lud. n. 21.* Dn. Brunnem. *ad l. 5. C. ad L. Cornel. de Sicar.* Dn. Thabor. *part. Elem. p. 4. ſ. 1. th. 6.* Magn. Dn. Strauch. *cit. loc.* Nobiliſs. Dn. Wechmann / *ad ff. tom. 1. p. 2. Ex. 2. n. 20.*

§. 8.

Incendium levi culpa ortum.

Levi culpa Incendium fieri dicitur, ſi oriatur per incuriam eorum, qui in habendo & cuſtodiendo igne non eam diligentiam adhibent, qualem prudens quilibet paterfam. rebus ſuis adhibere ſolet. *l. 11. ff. de peric. & com. rei vend.* Andr. Rauchb. *p. 2. q. 10. n. 18.* Berlich. *p. 4. Concl. 25.* Quapropter ſi quis in ſtipulam ſuam vel ſpinam comburendæ ejus cauſa ignem immiſerit, ſi ulterius evagatus & progreſſus ignis alienam ſegetem vel vineam læſerit, ſi die ventoſo hoc fecit, omnino culpæ reus eſt. *l. 30. §. 3. ff. ad L. Aquil.* Nam ſi quis die ventoſo commodi ſui cauſâ, quod bene in aliud tempus differri poterat, ignem incendit, aut non probe obſervat, ne vi venti ulterius evagetur & incendium exoriatur, ille maxime culpabilis eſt, ut demonſtrat latius Rauchb. *cit. loc. ex d. l. 30. ff. ad L. Aquil.* ut & *ex l. 28. §. 12. ff. de pœn.* Maſcard. *de probat. vol. 2. Concl. 893. n. 15. & 16.* Huic culpæ porro obnoxius eſt, qui in camino purgando negligentem ſe exhibuit, vel caminum ita depreſſum

preſſum conſtruxit, ut tectum altitudine non ſuperet, vel non attingat, ex cujus vitio ſæpius non tantum propriæ, ſed etiam vicinæ ædes in cineres rediguntur. Jung. Die Feuerord. des Fürſtenthums Gotha. *c. 1. art. 1. §. 6. & 7.* & illa, quæ *in c. 2.* dicturi ſumus. Tradit quoque Vinn. *ad §. 2. Inſt. quib. mod. re contr. obl. n. 9.* levi culpæ annumerandum eſſe illud Incendium, quod negligentia domeſticorum exortum eſt, quia adhibita conſueta boni patrisfam. diligentia præcaveri potuiſſet. *l. 11. ff. de peric. & com. rei vend.* Nam ſi dominus ædium noxios atque malæ conditionis homines in ſervitio ſuo habet, nec eos, ab amicis aut vicinis forte monitus, ejicit, tunc ſi unus ex familia damnum incendio dederit, illud culpæ domini adſcribitur, cui imputatur, quod tales miniſtros conduxerit. *l. 27. §. 9. & 11. ff. ad L. Aquil.* Finckelth. *Obſ. 89. n. 17.* Dn. Carpzov. *p. 4. Conſt. 17. def. 13.* Dn. Philipp. *in Uſu Pract. ad Inſtit. lib. 4. Eclog. 17. n. 9.* Add. *hujus Diſſert. c. 3. §. 21.*

§. 9.

Leviſſima culpa Incendium factum dicitur, ſi quis omiſerit, vel non fecerit, quod prudentiſſimus, diligentiſſimus & maxime induſtrius facturus fuiſſet, ita ut Incendium exinde ortum ſit. Dn. Carpzov. *Pr. Crim. p. 1. qu. 39. n. 30.* Culpa ſiquidem leviſſima eſt, ſi quis omittat talem diligentiam, qualem diligentiſſimus quisque adhibuiſſet. *l. 25. §. 16. ff. famil. hercisc. l. 18. pr. ff. commod. l. 3. de peric. & comm. rei vend. l. 1. §. 4. ff. de Obl. & Act. §. 2. Inſt. quib. mod. re contr. obl.* Quare hanc culpam qui præſtat, excuſari nequit, ſi eam rebus alienis diligentiam præſtiterit, quam aut ipſe, aut plerique rebus ſuis adhibere ſolent, modo quis alius diligentior majori cura adhibita damnum, quod illatum eſt, vel incendium vitare potuerit; Nam ad exactiſſimam diligentiam hæc culpa dirigitur. §. 1.

Incendium leviſſima culpa excitatum.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-9575-p0013-1

*Inſt. de obl. quæ quaſi ex contr. naſc. d. l. 1. §. 4. de obl. & act. l. 72. ff. pro ſoc. §. ult. Inſt. de ſociet.* Magn. Dn. Strauch. *cit. Diſſ. 19. aphor. 3.* Wiſenb. *alleg. Diſp. 4. ad tit. ff. de R. J. th. 8.* Vinn. *ad §. 2. Inſt. quib. mod. re. contr. obl. n. 10.* Non tamen in dijudicanda hac culpa unius atque alterius nimia inſpicitur diligentia, ſed ea, quæ in pluribus ultra communem ſortem diligentibus reperitur, uti bene monet Jacob. Gothofr. *alleg. à* Magn. Dn. Struv. *Ex. 19. th. 28.* Exemplum Incendii hac culpa exorti illud eſſe videtur, quod in *l. 27. §. 9. ff. ad L. Aquil.* proponitur, ubi ſervus fornicarius apud fornacem obdormivit & villa fuit exuſta. Neque enim eo nomine excuſandus, quod dormiens humanum quidpiam & naturale paſſus fuit, dum in non extinguendo vel non muniendo eam culpam admiſit, in quam vir diligentiſſimus non incidiſſet. *d. l. in fin.* Aliud vero eſt, ſi ignis ab inhabitatore, ejusque ſervo camino vel fornaci recte ſubjectus fuerit, tunc enim, ſi Incendium oriatur, non ex culpa, ſed ex caſu hoc venit, docente Gothofr. *in not. ad d. l. lit. n.*

§. 10.

Caſuale Incendium.

Caſuale Incendium illud dicitur, quod caſu fortuito, vel etiam ſine dolo & culpa eſt excitatum. *l. 23. in fin. ff. de R. J. l. 52. §. 3 ff. pro ſoc. l. 9. §. 3. & l. 15. §. 3. ff. loc. cond.* Dicitur alias inculpatum Incendium, quod prævideri adeoque culpæ adſcribi nequeat. *l. 6. C. de pign. act.* Angel. Aretin. *in tr. de malef. verb. incendiario. num. 9.* Quia vero caſus fortuiti varii ſunt, & tum ex cauſis naturalibus, vel extra rem, vel in ipſa re, tum facto aliorum hominum eveniunt. Vinn. *ad ſæp. cit. §. Inſt. quib. mod. re contr. obl. n. 4.* Magn. Dn. Struv. *Ex. 19. th. 32.* Ita quoque variis modis, præprimis autem his excitari ſolet (1.) ſi ab hoſtibus & inimicis nefarie immittatur ignis *l. 30. §. 4. ff. locat.* toties vero præſumitur eſſe immiſſus, quoties incendi-

Caſuale Incendium variis modis excitatur.

um

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-9575-p0014-7

um ortum eſt in loco, in quo ignis foveri non conſuevit, vel quando prius ædificium ex parte exteriori, quam interiori arſit, Rolan. à Vall. *Vol. 2. Conſ. 95. n. 18.* Proſper Farinac. *in Pr. Crim. p. 3. qu. 110.* Lubl. *in tr. de Incend. c. 2. n. 15.* Finckelth. *Obſ. 89. n. 25.* (2.) Si ex ædibus vicini oriatur. Dn. Hahn. *ad ff. tit. de off. Præf. vigil.* (3.) ſi absque alicujus hominis facto, ictu fulmineo vel vi fulguris excitetur. *l. 15. §. 2. ff. loc. Vid.* Gail. *lib. 2. Obſ. 21.* Fachin. *1. Controv. 87.* Donell, *ad l. 6. C. de pign. act.* Schneidevv. *ad §. 13. Inſt. ad L. Aquil.* Vinn. *cit. loc.* ibique alleg. Sand. *in Deciſ.* Berlich. *p. 4. concl. 25. n. 53.* Joh. Herm. Stamm. *de ſerv. perſon. lib. 2. c. 15.* Finckelth. *cit. Obſ. & n.* Porro ad Incendium caſu fortuito ortum referri poteſt illud, quod cauſatum eſt ex facto Principis vel alterius, qui Jus Superioritatis habet; Veluti cum in commemorationem Coronationis vel Diei Natalis ignis artificioſus nomen & inſignia Principis exhibens (ein Feuerwerck) aliter & præter omnium ſpem haud ex ſententia fluxerit. *arg. l. 11. ff. de evict.* Sebaſt. Med. *in tr. de caſ. fortuit. p. 11. qu. 13. n. 6. verſ. It. factum Principis. & p. 2. qu. 12. n. 23.* Add. Magn. Dn. Struv. *Ex. 27. th. 30.* ibique alleg. Frantzk.

§. 11.

Quæritur autem hic de Incendio, cujus autor, & qualiter id excitatum ſit, ignoratur, ad quam incendiorum claſſem referri debeat, & an culpoſum, an vero caſuale Incendium dicendum ſit? Nonnulli, ducti *arg. l. 23. in. fin. ff. de R. J. §. 2. Inſt. quib. mod. re contr. obl. l. 11. C. ſi cert. pet. l. 11. ff. de incend. ruin. naufr. & alior. text.* taliter ſubortum Incendium negant culpâ excitatum eſſe, hinc illud pro inculpato haberi autumant. Jaſon vero *in l. 4. §. 4. ff. ſi quis caut. in Iud. ſiſt. n. 41.* Matth. de Afflict. *Deciſ. Neopol. 56. n. 6.* Menoch. *lib. 2. de arbitr. Iud. quæſt. caſ. 390. n. 3. &*

In dubio an Incendium pro culpoſo, an pro Caſuali ſit habendum?

*lib. 2.*

*lib. 2. de Præſumt. qu. 59. n. 3.* aliique quam plures, prædictum Incendium culpoſum & negligentia inhabitantium eveniſſe præſumendum eſſe aſſerunt, quibus etiam calculum ſuum adjicit Dn. Hahn. *ad Weſenb. tit. de off. Præf. vigil.* & Vinn. *ad §. 2. Inſt. quib. mod. re contr. obl. n. 4. in fin.* ubi dicit, quod ad caſus fortuitos non ſint referendi illi caſus, qui cum culpa conjuncti eſſe ſolent, cujusmodi ſunt incendia intrinſecus orta &c. Add. Arnold. de Reyger. *in Theſaur. Jur. de Incend. n. 1.* Et quidem in dubio, Incendium culpa leviſſima eſſe ortum, præſumtionem faciendam eſſe docent Hippol. de Marſil. *ad. l. 1. ff. ad. L. Cornel. de Sicar. n. 109.* Farinac. *p. 3. Pr. Crim. qu. 110. n. 92.* Möller. *Semeſtr. lib. 4. c. 31. n. 2.* Berlich. *p. 4. Concl. 25. n. 77.* Magn. Dn. Richter. *Vol. 2. Conſ. 350. n. 18.* ubi hunc in modum in Colleg. Jurid. Jenenſ. M. Sept. 1607. pronunciatum eſſe refert. Finckelthuſio vero culpa hæc præſumta non videtur eſſe leviſſima, ſed levis. *Obſ. alleg. 89. n. 26.* propter rationem, quod in *l. 3. §. 1. ff. de off. Præf. vigil.* ponatur verbum culpæ ſimpliciter, per quod ſemper intelligatur culpa levis; Atque hanc ſententiam receptiorem eſſe dicit, ejusque rei gratia quamplurimos Dd. allegat. Verum quicquid ſit, licet præſumatur Incendium plerumque culpa inhabitantium eſſe ortum, hæc tamen præſumtio perſonæ eſt indeterminatæ, cujus vi ſtatim paterfam. conveniri nequit, ut eleganti collectione demonſtratur ab Alfeno in *l. 11. ff. de peric. & comm. rei vend.* Vid. Harpr. *ad §. 13. Inſtit. ad L. Aquil. n. 13.* B. Arum. *Ex. ad Inſt. 17. th. 14.* Dn. Philipp. *in Uſ. Pract. ad Inſt. lib. 4. Eclog. 17. n. 1.* Jung. illa, quæ inferius *c. 3. §. 19. & 20.* de hac materia latius dicturi ſumus.

§. 12.

Diviſio Incendii in oppido &

Denique à Dd. & Interpretibus Juris noſtri, Baldo ſcil. Cyno & Salyc. *ad l. 11. C. qui accuſ. non poſſ.* Ang. Aret. *in*

*tr. de*

*tr. de maleſ. verb. Incendiario. n. 1. & 2.* aliisque, Incendium in illud, quod in civitate vel oppido & extra civitatem vel oppidum commiſſum eſt, dividitur. Cujus diſtinctionis nullum in Jure noſtro uſum eſſe, quamplurimi ſtatuunt; Verum ſi non aliunde tamen ex coërcitione hujus delicti, de Jure Civ. facienda, utilitas illius apparebit, ut ita ſimpliciter reprobari nequeat, uti ex illis, quæ *c. 3.* de pœna Incendiariorum dicturi ſumus, apparebit. Et hæc de Diviſione Incendii ſufficiant. extra oppidum commiſſ.

## CAPUT II.

*De*

# Illis, quæ circa Incendia præcavenda & extinguenda notanda veniunt.

§. 1.

INcendio ejusque ſpeciebus propoſitis, merito nunc conſiderandum venit, qualiter tum *Jure Civ.* tum etiam *Moribus noſtris* Incendiis ſubortis occuratur. Experientia enim hunc ordinẽ præſcribit, cum homines prius de extingvendis Incendiis, quam eorum autoribus ac pœna iis debita infligenda ſoliciti ſint. Omnino autem ea, quæ *circa Incendia præcavenda* obſervanda veniunt, ab illis ſeparanda erunt, quæ *circa Incendia extinguenda* conſtituta ſunt.

§. 2.

Incendia præcavenda quod attinet, Magiſtratus ante omnia curare debet, ut ocularis inſpectio ædificiorum & locorum, ignis fovendi & braxandi gratia deſtinatorum, à perſonis ad id deputatis inſtituatur, & ſi minus idonea inveniantur, inhabitanti refectio injungatur, quod confirmat des Fürſtenthums Gotha Gemeine Feuer-Ordn. Cura Magiſtratus circa Incendia præcavenda.

*c. 1. art. 1.* §. *1.* in verb. Anfangs ſoll allenthalben eine durchgehende Beſichtigung von gewiſſen / jedes Orts Gelegenheit nach / hierzu verordneten Perſonen vorgenommen ꝛc. Atque hæc viſitatio certis quibusdam temporibus cujuscunque anni renovari debet, ſecundum monita cit. Ord. *d. l.* §. *3.* in verbis: ſoll von Jahren zu Jahren die einmahl angeſtellete Beſichtigung / durch die hierzu verordnete unabſetzlich fort geſtellet werden / &c. Add. des Rahts zu Leipzig Feuer-Ordn §. So ſoll der jüngere Baumeiſter &c. Si vero deputati ad hoc munus illud negligant & viſitationem omittant, pœna arbitraria coërceri poſſunt. Officialis ſiquidem in officio ſuo adminiſtrando debitam diligentiam adhibere debet. arg. *l. 33. ff. de admin. & per. tut. & cur.* & is, qui in officio publico conſtitutus eſt, ſi aliquid negligat, unde damnum oriatur, ad reſarcitionem damni & pœnam pro varietate delicti tenetur. Vid. Menoch. *lib. 2. de arbitr. Iud. quæſt. caſ. 55. n. 8.* Dn. Brunnem. *ad tit. C. de erogat. milit. annon.* Arnold. *de* Reyger. *in theſ. Jur. ad verb. officium. n. 5.* Porro, quia in caſu neceſſitatis ingruentis copia aquæ ad extinguenda Incendia maxime conducit, hinc in bene conſtituta Republ. fontes, aquæ ductus & lacus habentur, quorum conſervationem Reip. neceſſitas itidem quam maxime ſuadet. Vid. alleg. Ordin. Inclyt. Ducat. Gothan. *c. 1. art. 1.* §. *10.* in verb. Dieweil auch eine hohe Nothdurfft iſt / daß vor entſtehenden Brunſten / aufs Waſſer gute Auffſicht gehalten werde / als ſollen die hierzu Verordnete dran ſeyn / daß die Ziehe- und andere Brunnen in gutem Eſſe erhalten / die Schwemmen ſtets voll Waſſer gelaſſen / und an welchem Ort flieſſende Waſſer verhanden / es damit alſo gerichtet werde / daß daſſelbe im Nohtfall geſtämmet / an alle Ort nach Mühligkeit geleitet / und alſo zur Löſchung gebrauchet werden möge.

§. 3.

§. 3.

Non ſolum vero Magiſtratus in genere ad præcavenda Incendia exquiſitam ignis debet gerere curam; Sed etiam cuilibet patrifam. in ſpecie hoc congruit. Quapropter caminos in ædibus ita habeat exſtructos, ut à periculo ignis ſint muniti, tectum altitudine certa ſuperent, & interſtitium quoddam inter illos & vicinas ædes intercedat. Hinc Jure Saxon. diſpoſitum legitur: Ofen/ Waſſer gerinn / Heimligkeiten und Schweinſtälle / die ſollen drey Fuſſe von eines andern Mannes Zaun ſtehen. Land R. *lib. 2. art. 11.* Magn. Dn. Struv. *Ex. 39. th. 7.* Secundum Ordin. Inclyt. Ducat. Gothan. hactenus allegat. quænam diſtantia requiratur ex *c. 1. art.* §. *8.* colligi poteſt. Præcipue patrifam. incumbit, ut quotannis certis quibusdam vicibus caminos purgari curet. Vid. alleg. Ord. *c. 1. art. 1.* §. *7.* in verb. Feuermauren / Eſſen oder Schornſtein ſollen rein gehalten und des Jahrs zum wenigſten zweymal / nemlich umb Oſtern / und im Herbſt / oder nach Gelegenheit der Haußhaltung / alle Quarthal einmahl / und nicht bey Nacht / ſondern des Tages gefeget &c. Jung. des Rahts zu Leipzig Feuer-Ordn. §. Es ſoll auch ein jeder B. Alias ſi propter negligentiam inhabitantis Incendium in camino ortum fuerit, da eine Feuermauer brennend wird / pœnâ arbitraria puniri poteſt. In genere vero paterfam. diligentiam adhibere debet, ne vel propria vel etiam miniſtrorum culpa Incendium contingat. Hinc ponderanda ſane eſt elegans diſpoſitio Ordin. Inclyt. Ducat Gothan. *c. 1. art. 2. per tot.* ubi non ſolum cura ignis provida patrifam. ſedulo injungitur; Sed etiam cavetur, ne cannabe, ſtramine, fœno, carbonibus aliisque ejusmodi rebus locum igni fovendo deſtinatum repleat. Confer. ea quæ *in c. præc.* §. 7. propoſita ſunt; Neve miniſtris permittat, ut tempore nocturno cum igne vel candela, later-

Cura cujuslibet patrisfamilias.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-9575-p0019-8

næ non incluſa, ſtabula ſtramine & fœno repleta aut alia ædificia, ubi ejusmodi res repoſitæ ſunt, accedant.

§. 4.

Cura nonnullarum perſonarum in ſpecie.

Imprimis vero certis quibusdam perſonis, quæ præ aliis ignem fovere ſolent, quales ſunt: Gaſtwirthe / Bäcker / Brauer / Salpeterſieder / Schmiede / Schlöſſer / Brandeweinbrenner / Töpffer / Bader / und dergleichen Handwercker hoc convenit, ut ignem diligentius ad omne periculum avertendum tractent, nihilque negligant, quod ad præcavendum incendium facere videtur. Vid. die Fürſtl. Sächſ. Goth. Feuer-Ordn. *cit. 1. art. 3.* In qua porro non ſolum proviſum, ut Hoſpites tempore nundinarum vel etiam tunc, quando hoſpitium advenis repletum eſt, excubiarum gratia cuſtodem conſtituant, qui ſedulam ignis curam gerat & omnia bene obſervet, quod inſimul ad alia convivia extenditur *cit. art. 3. §. 4.* Sed etiam ſaluberrime diſpoſitum eſt, ut in conditionem & nomen advenientium Hoſpites inquirant, ac ſi contra unum vel alterum præſumptiones militent, illud Magiſtratui vel Superiori, dem Gerichtsherrn / indicent. Laudabiliter proinde in plurimis Rebusp. receptum, ut Hoſpites ſchedulam & catalogum advenientium ſingulis diebus Magiſtratui offerant. Plerumque etiam ipſi Viatores, priusquam limina urbis ſubeant, ubi divertendi animum habeant, à vigilibus portarum examinantur, & nominis ſtatusque ſui copiam dare compelluntur. Expedit enim Reip. ut notum ſit, quod urbs contineat peregrinos, quales foveat hoſpites & alienigenas, quæ cura ſæpè multas turbas & ſeditiones impedit; Præterea periculum, quod ex multitudine peregrinorum & advenarum civitati imminet, ac ob incendia, tumultus, proditiones &c.

Hoſpitibus quid incumbat?

me-

metuendum eſt, jubet advenas cogi, ut ſi Hoſpitii jure velint frui, nomina ſua Magiſtratui profiteantur & fidem pro communi ſecuritate promittant. Mæv. *ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 2. art. 2. n. 20.*

§. 5.

Quæri hac occaſione poteſt; Quinam in hoſpitia recipi poſſint? Sane ſors mortalium efflagitat, ut quibus modis poſſumus, omnibus indiſtincte benefaciamus, & humanitatis officia cuilibet præſtemus; Præprimis cum ſumma hoſpitiorum ſit neceſſitas. Quo enim diverterentur homines? ubi humanæ indigentiæ neceſſaria ipſis ſubminiſtrarentur? niſi publica eſſent loca ubi quis in itinere ſecure degere poſſit; cum quis domicilium aut hoſpitium ſuum circumferre non poſſit, prout docet Germanicum illud: Herbergen kan niemand mit ſich führen. Sub dio commorari moleſtum; In agris pernoctare injucundum, imò noxium; Errare in denſiſſimis tenebris haud conſultum; Ignotis ſeſe credere ſylvis & ibidẽ feris ſe exponere periculoſum. Hinc facile quilibet judicabit, regulariter neminem à jure Hoſpitii repellendum eſſe. Quia tamen multorum malitia in tantum excrevit, ut omnibus plane beneficiis indigni ſint, merito quoque ab hoſpitiorum communione repellendi veniunt. Et quamvis in peregrinantibus non facile ſelectus ſit faciendus perſonarum, ſed indifferenter, quibuscunque poſſumus, beneficia exhibere debeamus, cum Scriptura S. hoc expoſcat. Tamen admodũ periculoſum eſt, ſi quis ſceleratos, notorie criminoſos, ignavos & otioſos, fures, ſtelliones & impoſtores, Spitzbuben und Beutelſchneider / recipere velit, cum exiſtimationi ſuæ eo admodum detrahat Hoſpes.

An omnes in hoſpitia recipi debeant?

§. 6.

Eliminari ergo debent Banniti, quales ſunt rebelles

Perſonæ,

quæ jure hoſpitii ſint indignæ.

& violatores pacis publicæ, quibus omnia humanitatis jura & viciſſitudines officiorum & commercia interdicuntur. Magn. Dn. Struv. *Ex. ult. th. 50.* Receptatores ſiquidem eorum in bannum incidunt, & eadem cum illis pœna plectuntur. Landfrieds-Ordn. zu Wormbs *de Anno 1521. tit.* Friedbrecher und Thäter nicht zuhauſen. Niſi ignoranter ſuſcipiantur & Hoſpites ex diligenti inquiſitione eorum vitam & mores expiſcari nequeant. Pertinent huc porro ſubditi rebelles, ausgetretene Unterthanen / qui ob perpetrata in Magiſtratum molimina & ob nefandum defectionis venenum omnibus humanitatis auxiliis ſe indignos reddunt. R. A. zu Auſpurg *de Anno 1555.* §. als ſich denn auch zu vielen mahlen &c. ibi: Daß andere ausgetretene Unterthanen nicht hauſen / herbergen / unterſchleiffen / ezzen / träncken / noch in andere Wege enthalten und fürſchieben ſollen. Neque etiam milites otioſi & vagabundi. Alleg. R. J § es ſollen auch die Stände 2c. Aut Cingari, German. alias vocati die Ziegeuner / recipiendi ſunt. Imperiales ſiquidem ſanctiones merito in eos juſtæ ultionis aciem ſtrinxerunt, & tanquam carcinomata & catharmata hominum civili ſocietate ejecerunt. Compertum enim eſt, proditores eos eſſe & exploratores hoſtium, Germanorum conſilia & negotia Turcis aliisque deferentes, quare omnino hoſpitiis noſtris illos expellimus. arg. Ordin. Polit. zu Augſpurg / *de anno 1548. tit.* von den Ziegeunern. Vide ſis latius Nobilis. Dn. Fritſch. Conſiliar. Schvvarzburg. *in tr. ſuo de Zygenor. orig. membr. 2. & 4.* Denique in genere omnes ſuſpectos, otioſos, hæreticos &c. Hoſpitiis recte arcemus. arg. Der Reuter-Beſtallung zu Speyer *de anno 1570. art. 79.* §. Er ſoll auch keine Fremde / verdächtige und argwöhnige Perſonen beherbergen 2c. Si itaque ſecundū hactenus dicta in advenientiū vitam & mores diligen-

gentius Hoſpites inquirant, nec indiſtincte quemlibet recipiant, ſæpius Incendium, quod per ejusmodi homines procreatur, evitari poteſt. Plurima, quæ ad Incendia præcavenda conducunt, elegantiſſime proponuntur in ſæp. alleg. Ordin. Incl. Ducat. Gothan. *c. 1. art. 1. 2. & 3. per. tot.* ad quam B. L. brevitatis ſtudio remittimus.

§. 7.

Ad extinguenda Incendia requir.

(1) Perſonæ.

(2) Inſtrumenta.

(3) Modus.

De jur. Civ. quænam perſonæ ſint conſtitutæ?

Quia vero incendia ſæpius exoriuntur, quamvis provida ignis cura in Rep. obſervata fuerit; Hinc ea, quæ ad Incendia extinguenda facere videntur, nunc proponenda veniunt. Illa vero præcipue in tribus conſiſtunt (1) in Perſonis, quibus cura Incendiorum extingendorum eſt commiſſa. (2) in Inſtrumentis ad extinguendum idoneis, & (3) in modo, quo neceſſitate exigente Incendiis occurri poteſt. (1) Perſonæ ad Incendia extinguenda conſtitutæ de Jure Civ. variant. Apud vetuſtiores ſiquidem Incendiis arcendis Triumviri præerant, qui ab eo, quod excubias agebant, nocturni dicti ſunt. Et cum hi ſoli ferundo non eſſent, Ædiles, ut arcendis Incendiis præeſſent, excubiasque agerent nocturnas, ac cum his certi homines & certæ familiæ, circa portas & muros habitantes, conſtituti ſunt, quorum opera & auxilio Incendio orto uti poſſint. *l. 1. ff. de Off. Præf. vigil.* Quin etiam privatæ familiæ fuerunt, quæ Incendia vel mercede vel gratia extinguerent. *d. l. 1.* Poſtmodum Auguſtus ex ratione & cauſa impulſiva, in *l. 2. & 3. ff. eod.* expreſſa, hoc immutavit, atque in Urbe Roma Præfectum vigilum conſtituit, uti legere eſt in *l. 3. ff. d. t.* cujus Præfecti officium in eo conſiſtebat, ut cum ſeptem cohortibus, harumque Tribunis, quibus erat præpoſitus, ob ſecuritatem tam nocturnam, quam diurnam vigilaret, ac incendia, effracturas & tumultus averteret. Vid. *l. 3. §. 1. & ſeq. l. 4. ff. alleg. tit. de off. Præf. vigil. l. un. C. eod.*

*C. eod. ibique.* Dn. Brunnem. & Perez. *n. 3.* Zœſ. *ad ff. tit. de Senator. n. 27.* Weſenb. *in parat. ff. tit. de off. Præf. vigil.* Magn. Dn. Struv. *Ex. 4. th. 27.*

§. 8.

Præfectus vigilum unde dicatur?

Dictus eſt Præfectus vigilum, quod præpoſitus eſſet illis vigiliis, quibus ab Incendio urbs munita eſt, vel quod gubernaret homines vigilantes, & nihil in perſcrutando derelinquentes, ſecundum Juſtinian. in *Nov. 13. pr. ibique* Cujac. Vid. Dn. Hahn. *ad Weſenb. tit. de Off. Præf. vigil.* Præfecto vigilum ſuberant Tribuni atque Vigiles. Tribuni vigilum erant Præfecti inferiores certorum vigilum, in aliqua urbis regione vigiliarum cauſa conſtitutorum, per *l. 3. pr. ff. de off. Præf. vigil.* Sueton. *in Vita Auguſt. c. 30.* Vigiles erant milites Præfecto ſuo obſequentes, ejusque mandata in extinguendis Incendiis, propulſandis effractoribus & id genus aliis exequentes. *d. l. 3. in pr. ff. de off. Præf. vigil.* Quorum ſeptem erant cohortes, ſecundum quatuordecim urbis Romæ regiones conſtitutæ, ut unaquæque cohors binas tueretur regiones. *d. l. 3. in pr.* Sueton. *cit. c. 30.* Calvin. *in Lexic. Jurid. ad vocab. Præfect. vigil.* Dn. Hahn. ad Weſenb: *tit. de off. Præf. vigil.* Atque ſic exinde, quantam Romani in extinguendis Incendiis curam adhibuerint, ne quid detrimenti caperet Reſp. videre eſt, putantes id ſine negotii datum eſſe, ut ſalutem Reip. quibuscunque modis poſſent, curate tuerentur.

§. 9.

Moribus hodiernis perſonæ conſtituuntur ad vigilias & ſignificandum.

Hodie non minori hoc cura obſervari videmus, dum quilibet Magiſtratus, memor demandati officii, in eo totus eſt, ne deſint, qui die nocteque excubias agant. Hinc certi conſtituuntur homines, ut noctu vigilias agant, atque per ſingulas horas ſonitum campanæ publice in plateis pronuncient, German. Nachtwächter; Quin etiam

intur-

in turribus ad id deputati inveniuntur nonnulli, vocati die Thürmer &c. quibus incumbit, ut die nocteque vigiles ſint atque undiquaque ædificia Civitatum è turri luſtrent; Quapropter etiam juramento adſtringuntur, ut tempore Incendii ſignum campana vel alio modo dent. Add. Die Fürſtl. Sächſ. Goth. Feuer-Ordn. *c. 2. art. 1.* ubi inſimul Patrifam. in cujus ædib. incendium exoritur, ut illud publicè pronunciet, injungitur. Germ. Er ſoll das Feuer beſchreyen Alias ſi hoc non fecerit, ex incendio vero vicinis damnum inferatur, illis non tantum ad reſtitutionem damni tenetur, ſed & arbitrariè, carcere vel relegatione punitur. Verba d. Ord. inter alia hæc ſunt: Dafern aber ein Einwohner / bey dem das Feuer auskommen / vor dem Sturmſchlag daſſelbe nicht beſchreyen / ſondern es zu unterdrücken ſich unterſtehen und hierdurch das Feuer überhand nehmen laſſen würde / der ſoll denen Benachtbarten den hieraus entſtandenen Schaden erſtatten / auch über dis willkührlich mit der Landes Verweiſung oder am Leibe geſtraffet werden.

§. 10.

Signo dato quid faciendum?

Signo dato, de quo latius cit. Ordin. *c. 2. art. 2.* Von Beſtürmung des Feuers bey Tage ſo wol auch des Nachts / videri poteſt, quilibet non ſolum ad avertendum Incendium preces ad Deum pie fundit, & Magiſtratus laudabiliter procurat, ut ſtudioſa Juventus in ſcholis, vel alio ſecuriori ab Incendio remoto loco, ad invocationem Auxilii Divini per Præceptores adigatur, ſecundum monita dict. Ordin. *c. 2. art. 3.* Sed etiam viri hujus rei gnari, juramento ad hoc obſtricti, relictis omnibus rebus confluere & ad extinguendum Incendium ope & conſilio concurrere debent. Nam in pleriſque Civitatibus hoc obſervatur, ut pro utilitate Reipubl. vel Collegia nonnulla Opificum, Fabrorum ſc. lignariorum & Cœmentariorum, vel etiam certi ho-

mines à Magiſtratu ad id conſtituantur, qui præ reliquis in extinguendis incendiis ſedulos ſe gerere & inſtrumenta neceſſaria ac idonea quam citiſſime apportare debent, Germ. dicuntur: Die zum Feuer verordnete vel Feuer-Knechte. Interim tamen, ut quilibet officium ſuum præſtet, & ad damnum imminens avertendum operam pro virili conferat, Superior vel Magiſtratus aut nomine ejus Delegati incendio præſentes eſſe debent. Vid. alleg. Ordin. *d. art. 3.* ubi adhuc alia quam plurima notabilia de quibus ex perlectione conſtabit, proponuntur. Add. Des Rahts zu Leipzig Feuer-Ordn. §. So ein Feuer in der Stadt entſtehet &c. Caute inſuper ac laudabiliter Magiſtratus agit, quosdam armata manu vel etiam milites, ſi copia eorum haberi poſſit, ad Incendium mittendo, ut ſuſpectos & ad extinguendum minus idoneos repellant, ne furtum vel rapinam committant, neve aliis impedimento ſint. Vid. d. Ordin. *cit. loc.*

§. 11.

Inſtrumenta ad extinguendum Incendium neceſſaria, & quidem de Jure Civili.

Perſonas ad extinguendum Incendium conſtitutas excipiunt (2) Inſtrumenta, quæ requiruntur. Hæc autem ſunt duplicia; Quædam enim requiruntur ex parte Magiſtratus, vel quoad Jus Civ. ex parte Præfecti vigilum, quædam vero ex parte Inquilinorum. Ex parte Vigilum eorumque Tribuni atque Præfecti de Jure Civ. tria requiruntur: Calcei ſcil. Hamæ & Dolabra. *l. 3. §. 3. ff. de off. Præf. vigil.* Qualia autem inſtrumenta hæc fuerint, nec Interpretes, nec ipſa Gloſſa plenius attingunt. Calceos, quibus Præfectus vigilum inſtructus eſſe debebat, nonnulli fuiſſe putant Inſtrumenta ad extinguenda incendia idonea, à calcei forma nomen habentia, uti tradit Sleupn. *in tr. de Incend. c. 2. §. 34.* Add. Gothofr. *ad l. 3. §. 2. ff. de off. Præf. vigil.* Dn. Hahn. ad Weſenb. *tit. de off. Præf. vigil.* Alii textum alleg. *l. 3. §. 3. ff. de off. Præf. vigil.* interpreta-

Calceus quid ſit?

tantur

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-9575-p0026-3

tantur de calceis, quibus Romani utebantur, & quandoque Magiſtratus inſigne erat, quam ſententiam videtur confirmare Hildebrand. *in antiq. Rom. ex Roſin. & aliis in compend. redact. verb.* Calceus. Add. Calvinus *in Lexic. Jurid. ad vocab.* Calceatus. Hama quidnam ſit, exacte non conſtat. **Hama quid ſit?** Suidas fabrile credidit eſſe inſtrumentum. Ulpianus in *l. 12. §. 18. & 21. ff. de inſtruct. & inſtr. leg.* Hamas inter Incendiorum remedia bis refert. Turnebius *lib. 2. animadverſ. cap. 29. & lib. 19. cap. 13.* ex Columell. *lib. 17. de cult. hortor.* & Plin. *lib. 10. Epiſt. 34.* Hamam ſumi vult pro vaſis aquariis rotundioris formæ & ventris globoſioris, quibus ad extinguenda incendia uti ſolebant. Conſentit Buchner. *in Theſ. Fabr. emend.* qui hamam vas hauriendæ aquæ ad reſtringenda incendia nominat & Germ. reddit: Einen Feuer-Eymer. Dn. Hahn. *ad Weſenb. cit. loc.* dicit, Hamam eſſe longum quoddam inſtrumentum, ferream cuſpidem & recurvam habens, quo pauliſper à nobis disjuncta & remota attrahimus, cui adſtipulatur Gothofr. *ad l. 3. §. 3. de off. Præſ. vigil. lit. n.* qui aſſerit, quod ſit inſtrumentum ad diſturbanda ædificia factum. Jung. Calvin. *in Lexic. Jurid.* ubi dicit, Hamam eſſe inſtrumentum, quod ignis extinguendi cauſa habetur.

§. 12.

Dolabrum denique dicitur à Sleupn. *in tr. de Incend. cit. cap. 36.* **Dolabrum quid ſit?** inſtrumentum, à militibus geſtandum, ad abradendum & ignem extinguendum, ne progrediatur. Conſentit Lexic. Jurid. *var. Autor. in vocab.* Dolabrum. ubi Præfectus vigilum cum dolabris errare dicitur ad diruendas & demoliendas domos, ut ruina aliquarum incendium reprimatur. Idem aſſerit Calvin. *in Lex. Jurid. ad vocab.* Dolabrum. Dn. Hahn. ad Weſenb. dolabrum inſtrumentum dicit, ad portas refringendas commodatiſſimum. Erant adhuc

huc alia Inſtrumenta ad incendia extinguenda facientia, de quibus Ulpianus in *l. 12. §. 18. ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg.* agit, v. g. acetum, quod extinguendi incendii cauſa paratur. Nam uti ex *Macrob. 7. Saturnal. 7.* tradit Gothofred. ad *d. l. lit. G.* acetum ſolum ex omnibus humoribus creſcentem flammam violenter extinguit, dum per frigus ſuum calorem vincit ignis. Add. *l. 3. §. 5. ff. de pen. leg.* It. Siphones. Eſt autem Siphon organum cannæ ſimile, hauriendis reddendisque aquis idoneum, cujus uſus in reprimendis incendiis erat, German. dicitur eine Sprütze. Hæc ſunt inſtrumenta, quæ ex parte Magiſtratus requiruntur. Ex parte ſubditorum de Jure Civ. requiritur aqua, quam ut quisque inquilinorum in cœnaculo ſuo habeat, Præfectus vigilum jubere & admonere debet. *l. 3. §. 4. de Off. Præf. vigil.* Weſenb. *in parat. ff. eod. tit.*

§. 13.

Inſtrumenta, quæ moribus hodiernis ad extinguendũ adhibentur.

Mores hodiernos quod attinet, ut perſonæ ad Incendium extinguendum conſtitutæ inſtructæ veniant, Magiſtratus partim ipſe ſubminiſtrat inſtrumenta, qualia ſunt: Sprützen/Leitern/Feuerhacken/Lederne-Eymer/Kübel/Schöpfſtötze & ſimilia, partim etiam Collegia opificum exhibent, quæ vel ſumtibus totius Collegii, vel novi opificis, prout in quibusdam locis mos fert, quotiescunque Collegio, ejusque juribus ac privilegiis ſe mancipat, conficiuntur. Quin etiam ſubditi ſub pœnæ comminatione cogi poſſunt, ut nonnulla inſtrumenta, qualia ſunt: Handſprützen/Lederne-Eymer/&c. comparent, & vaſa aquæ adimpleta extinguendi Incendii gratia, tempore præprimis æſtivo, ingruente tempeſtate parata habeant, quod probat die Fürſtl. Sächſ. Goth. Feuer-Ordn. *cap. 1. art. 4. §. 4.* in verb: Sonſten ſollen &c. alle und jede Haußwirthe Sommerszeit/ bey groſſer Sonnenhitze und beſorgenden Donnerwettern/ ihre Feuerrüſtung einzuquäl-

zuquällen / und ſie ſo Tags ſo Nachts mit Waſſer auff dem Boden und vor die Häuſer zu ſetzen erinnert ſeyn &c. In ſylvis vero quomodo incendium præcavendum & exardeſcente ſylvâ procedendum ſit, itidem dict. Ordinat. *cap. 3. per tot.* proponit, ubi *art. 2. §. 3.* requiritur, ut omnes, quorum aliqua ratione intereſt, ſigno dato vel intimatione facta, ad extinguendum tale incendium conveniant, in verb: Wenn die Feuersbrunſt angedeutet worden / oder ſonſt ein ungewöhnlicher Rauch in Wäldern vermercket wird / ſollen darbey Hülff und Rettung zu thun / nicht allein alle diejenigen / ſo nahe bey den Wäldern gelegen / und ſo auff denſelben einerley Gerechtigkeit haben / es ſey an Jagten / Trifften / Holtzung / und wie die Nahmen haben mögen / verbunden ſeyn / ſondern es ſoll auch das gantze Ambt und Gericht / worein dieſes Holtz oder Walder gehörig &c. gebührende folge thun. &c. Sylva exardeſcente quid faciendum?

§. 14.

Inſtrumenta ſubſequitur (3) Modus extinguendi incendia, de quo hactenus ſubinde dictum. Si in ſylva incendium exortum ſit, modus extinguendi talis præſcribitur in alleg. Ordin. Inclyt. Ducat. Gothan. *cap. 3. art. 6.* in verb: Nach ſolchen ſollen ſie die Rettung an ihr ſelbſten der geſtalt für die Hand nehmen / daß ſie ihnen für allen Dingen angelegen ſeyn laſſen / an Orten / wo der Brand im Walde ſich ereignet / die dabey gegen dem Winde ſtehende und auch noch nicht entzündete Bäume zu fällen / behörige Graben / damit das Feuer nicht fortſetzen könne / zu machen / das Moß wegs breit eilfertigſt ab und hinweg zu bringen / und da nahe gelegene Oerter mit Waſſer verſehen / ſo viel immer müglich / herbey zu bringen / It: mit Reißholtz das Fuer in den Heiden oder Moß auszuſchlagen / auch da ſolches alles noch nicht verfangen wolte / gegen den hohlen und breiten Weg zeitig die Bäume oder den Buſch zu fällen &c. Extra ſylvas ad modum Modus extinguendi Incendium?

 incen-

incendii extinguendi pertinere videtur hoc, quod ædes intermediæ atque vicinæ, ſi ignis ad eas proxime pervenerit, arcendi Incendii cauſâ, ne latius ſerpat, intercidi, dirui & penitus demoliri queant, uti cum Barth. ſtatuunt Dd. *ad l. 7. ff. quod vi aut clam.* Qua occaſione disquirunt: An deſtruens ædes vicini ad reſarcitionem damni teneatur? Et reſpondent quod non, ſec. *l. 49. in fin. ff. ad L. Aquil.* quod nulla ſubſit injuria, cum res ea ſpectet ad ædium defenſionem, jure permiſſam. *l. 3. §. 7. ff. de Incend. ruin. naufr.* Jung. Arnold. de Reyger. *in Theſ. Jur. de Incend. n. 10.* Hillig. ad Donell. *lib. 15. cap. 26. lit. A.* Magn. Dn. Struv. *Ex 14. th. 12.* Hinc non magis is, qui incendii arcendi cauſa ædes vicinas diruit, tenetur, ac is qui ſervandarum mercium gratia merces aliorum in mare projecit. *l. 14. ff. de præſc. verb.* Magn. Dn. Struv. *Ex. 20. th. 24.* Schnobel. *ad ff. D. 9. th. 8. ibique* Dn. D. Beier. *in Not.* Dn. Hahn. *ad Weſenb. tit. de L. Rhod. de Jact. pr.* Bart. quidem eatenus hoc concedit, ſi ignis ædes vicinas jam attigerit, per *l. 7. §. 4. ff. quod vi aut clam,* addita hac ratione, quod non poſſit videri damnum datum ædibus certo perituris, damnum autem eſſe, ſi deſtruantur, antequam ignis eo pervenerit, unde iſto caſu actionem in ſimplum dat. Rectius tamen id, quod in *alleg. l.* proponitur, de hoc caſu explicandum erit, quo deſtructio ædium temerarie ſuſcepta eſt; Aliud vero dicendum erit, ſi juſtus metus cauſaverit vicinarum ædium deſtructionem, cum non ſolum præſentem vim ſummovere liceat, ſed etiam impendentem. Vid. Zœſ. *ad ff. tit. ad L. Aquil. n. 16.* & Magn. Dn. Struv. *Ex. 14. th. 21. in Not.* ubi *alleg. l.* reſolvit.

An deſtruens ædes vicini incendii arcendi cauſa ad reſarcitionem damni teneatur?

§. 15.

Licet vero vicinas ædes deſtruens ad reſarciendum damnum, ſecundum hactenus propoſita, conveniri nequeat;

Vicini, quorum ædes de-

queat;

queat; Interim tamen alio modo ſatisfactionem damni is, cujus ædes dirutæ ſunt, petere poteſt, ſc. ut vicini, quorum ædes deſtructione aliarum ſunt ſervatæ, damnum illud reſarciant. Opinatur quidem Zœſ. *alleg. loc,* ſecutus doctrinam Bart. *ad d.l.§.4.ff. quod vi aut clam.* quod contributio ex L. Rhod. propter merces levandæ navis, & ſic communis periculi evitandi cauſa in mare jactas facienda, hoc in caſu locum invenire nequeat, quod alia iſtius Legis ſit ratio; propterea enim reliquos teneri, quod omnium rerum æquale erat periculum, ut non magis unius res fuerit mittenda, quam alterius, atque ita ei, cujus res miſſa alias ſalvas fecit, ſuccurri. Idem tuetur Wiſſenb. *ad ff.p.1. Diſp.28.th.6. ibique alleg.* Tulden. *ad C. tit. de L. Aquil. n.3.* Verum hæc ipſa ratio à Diſſent. propoſita noſtram ſententiam confirmat. Contributio enim ex L. Rhod. de jact. propterea recepta eſt, ut damnum, quod omnium cauſa quis ſuſtinuit, ab omnibus, quibus id ceſſit commodo, pro rata ſarciatur. Unde hæc Lex ad alios caſus conſimiles trahi poteſt, ita ut æquitas illius contributionis etiam locum habeat, cum propter incendium domus aliqua cæterarum conſervandarum cauſa diruta eſt, ut damnum à vicinis, ad quos veriſimiliter pervenire potuiſſet ignis, reſarciatur. arg. *l.1.l.2. in fin.pr.ff.ad L. Rhod. de jact.*

ſtructione alia um ædium ſervatæ ſunt, damnum reſarcire debent.

§. 16.

Atque hanc noſtram ſententiam amplectuntur Gail. *lib.2.Obſ.22 n.4.* Beck. *ad l.2.ff.ad L. Rhod. de jact.* Straccha. *tr. de naut.& navib.p.5.ſect.ſed nec eſt.n.2.* Loccen. *tr. de Jur. marit.lib.2.cap.8.n.2.* Sand. *lib.5 Deciſ.7.defin.3.* Bachov. ad Treutl. *vol.1.Diſp.18.th.8.lit.B.* Dn. Marquard. *de Jur.mercat.ſing.lib.3. cap.4.n.13.* Arnold. de Reyger. *in Theſ. Jur. cit. loc. ibique alleg.* Frantzk. *in Reſol.* Magn. Dn. Struv. *Ex.20.th.27.* Add. Nobiliſſ. Dn. Bechmann/ *ad ff. tom.1.p.2. Ex.2.n.74.* ubi docet, ſi molen-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-9575-p0031-1

lendinum ad majus damnum Civitatis avertendum incendatur, quod Civitas teneatur Domino molendini damnum reſarcire. Confirmat hoc præjudicium Scabinor. Hallenſ. *M. Jan. 1630.* latum, cujus verba hæc ſunt: Wenn die Mühle der Stadt B. zü beſten/und mehrern Schaden abzuwenden in Brand geſtecket: So wäre die Stadt B. euch den durch Abbrennung der Mühle/ erlittenen Schaden zu erſetzen ſchuldig. Quapropter licet Princeps vel Senatus tempore imminentis belli Suburbium haud procul ab urbe diſſitum incendio conſumere poſſit, æquitati conſentaneum eſt, ut pretium Dominis ædium, publicæ ſalutis conſervandæ gratia dirutarum, ex publico ſolvatur. arg. *l. 2. fin pr. ff. ad L. Rhod. de Jact.* Gail. *lib. 2. Obſ. 56. n. 2.* Niſi quis ſpatiũ, quo vicinæ ædes ab operibus publicis diſtare debent, occupavit. *l. 9. l. 11. & l. 12.* §. *4. C. de ædif. priv. ibique.* Dn. Brunnem. Quod illi faciunt, qui ad mœnia ædificant, quorum ædes ingruente belli neceſſitate, vel propter metum incendiorum publica autoritate deſtrui poſſunt, uti tradit Magn. Dn. Struv. *in Diſp. de ædific. priv. th. 68.* Diſtantia enim ædificiorũ privatorum ab operibus publicis omnino obſervanda eſt. Vid. Magn. Dn. Struv. *Ex. 39. th. 7.*

Tempore belli Princeps ſuburbium Incendio conſumere poteſt,

## CAPUT III.

*De*

# Pœnâ Incendiariorum atque damni per Incendium illati reſarcitione.

§. 1.

HActenus de Incendiis tum præcavendis, tum extinguendis nonnulla propoſita ſunt, jam de pœna, qua Incendiarii puniuntur, & de reſarcitione damni agendum erit. Quia vero Incendia non ſunt unius ejusdemque gene-

generis, uti *ex cap. 1. noſtri Diſcurſ.* conſtat, nec quoque eorundem pœnæ unius generis erunt, uti ex *hoc noſtro cap.* patebit.

§. 2.

**Doloſum Incendium atrox delictum eſt.**

Malitioſum Incendium atrox ſane & grave, ſeculo tamen hoc noſtro ſceleratiſſimo commune ac frequens delictum eſt. Reliquis enim omnibus iniquiores ſunt illi, & prorſus omni commiſeratione indigni, qui ſtudio dataque opera aliorum domos, quas humana ſolertia excogitavit ad tutandos homines ab imbribus, à tempeſtatibus & à reliquis cœli injuriis, malitioſe incendunt, quæ tamen omnium etiam Ethnicorum ſuffragio tanta religione ſunt munitæ, ut putarint, DEOS penates inibi ſedem ſuam fixiſſe. Id quod conſiderantes noſtræ Leges, graviſſimas variasque Incendiariis pœnas dictitarunt, quo temeraria incendendi libido coerceatur. Licet vero omnes Dd. in eo conſentiant, quod capitalis Incendii debeat eſſe pœna. Vid. Wiſenb. *ad ff. p. 2. Diſp. 30. th. 9.* tamen quoad qualitatem diſcrepant, propter varios ea de re in Jure noſtro propoſitos textus.

§. 3.

**De jure Civili quo do Incendiarii dolo puniantur.**

Nonnulli ſiquidem diſtinguendum eſſe cenſent inter Incendium malitioſum, in quo ſimul homo periit, & in quo nullus homo periit; Ita ut illius pœna ſit capitalis ex L. Cornel. de Sicar. Hujus lenior, utputa deportatio, quam diſtinctionem arg. *tot. tit. ff. ad L. Cornel. de Sicar. & l. 28. §. 12. ff. de pœn.* confirmare volunt. Menoch. vero *lib. 2. arbitr. Jud. quæſt. caſ. 390. n. 30. & ſeq.* Judicis arbitrio committit, an capitalis, an alia pœna ſit conſtituenda; Ita ut electionem habeat, utrum Incendiario ob incendium magnum capitis pœnam, ſecund. *l. 10. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. 11. C. de his, qui accuſ. non poſſ.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-9575-p0033-2

*l.fin.ff.de Incend, ruin.naufr.l.28.§.12.ff. de pœn.* an vero ignis ſupplicium, juxta. *l.9.ff.de Incend. &c.* infligere velit. Alii denique diſtinguunt, an Incendium in civitate, & quidem magnum ſit commiſſum, ut Incendiarii, ſi viles ſint perſonæ, comburantur, aut beſtiis objiciantur, *l.9.l.ult.§.1.ff.eod. d.l.28.§.12.ff.de pœn.* Angel. Aretin. *in Tr. de malefic. verb. Incendiario.n.2.* Add. Gail. *lib.2.Obſ.22.n.6.* Mynſing. *cent.6.Obſ. 88.n.5.* Rauchb. *p.2.qu.10.n.7.* In dignitate vero conſtitutæ capite plectantur. *d.l.fin.§.1.ff.de Incend.ruin.naufr.* Schneidevv. *ad §.13.Inſt.ad L.Aquil.n.3.* Berlich. *p.4. Concl. 24.n.6.* An in villa commiſſum ſit, ut hoc caſu reus ob incendium parvum deportetur, ob magnum vero capitaliter puniatur, modo ſit vilis perſona. Quicquid ſit, certum tamen hoc eſt, quod Incendium in oppido commiſſum gravius, in villa vero excitatum lenius coërcatur, juxt. *d.l.28. §.12.ff. de pœn. junct. cit.l.fin. §.1.ff.de Incend.ruin.naufr.* Mynſing. *alleg. Obſ.88.n.8.* Berlich. *d.l.* Schneidevv. *cit.n.* Moller. *ad Conſt. Elect.17.p.4.n.1.* Weſenb. *in Parat.ff.ad L. Cornel.de Sicar.n. ult.* Dn. Carpzov. *in Pr. Crim. part.1.qu.38 n.3.& ſeq.* Ludvv. *Ex. ad Inſt.18.th.5.* Magn. Dn. Strauch. *Diſſ.29. aphor.10.* Jung. Dn. Brunnem. *ad l.11. C.de his, qui accuſ. non poſſ.*

§. 4.

De jure Canonico Incendiarii quomodo puniantur?

Diverſa ab hac de Jure Can. in ejusmodi farinæ homines ſtatuta eſt pœna. Nam Incendiarii de hoc Jure excommunicantur & ſepultura Eccleſiaſtica privantur. *c.32. c.23.q.8.* Add. *c.2. & c.5. X. de raptor. incendiar. & violator. Eccleſ.* B. Dn. Ungep. *in comment. ad Decret. tit. de raptor. n.4.*

Secund. Ordin. Crim quomodo plectantur?

In Imperio noſtro Romano Germanico Imperator Carolus V. ſeveriorem in convictos hujus criminis conſtituit pœnam, ſanciendo, ut Incendiarii doloſi ignis ſupplicio afficiantur & vivi comburantur. Vid. Ordin. Crim. *art. 125.* in verb: Die Boßhafftigen uberwundenen Brenner ſollen

mit

mit dem Feuer vom Leben zum Tode gerichtet werden. ibique Matth. Stephan. Treutl. *vol.2.Diſp.32.th.7.lit.D.* Dn. Hahn. *ad Weſenb.tit.de Incend.ruin.naufr.* Dn.Brunnem.*ad d.l.11.C.de his,qui accuſ.non poſſ.* Magn.Dn.Struv.*Ex.49.th.67.* Atque hæc pœna obtinet,etiamſi iterato hoc delictum ſit commiſſum. Nullibi enim de exaſperatione hujus delicti expreſſe conſtitutũ aliquid reperitur, ideo nec facile exaſperatio admittenda erit.Hartmann.Piſtor.*lib.2.qu.13.n.25.* niſi unacum Incendio alia crimina commiſſa fuerint,ob quæ alias ſupplicium accumulari poteſt, qualia ſunt latrocinium, parricidium &c. Nam tunc exaſperatio pœnæ procedit, ita ut reus trahæ impoſitus ad ſupplicii locũ pertrahi, vel etiam ferro candente aduri poſſit. Vid. Dn. Carpz. *cit.qu.38.n.67.& ſeq.*

An propter reiterationem pœnæ ſit exaſperanda?

§. 5.

An autem hæc pœna in Sanctione Criminali Carolina propoſita, in Foro quoque Saxon. obtineat, haud immerito aliquis dubitare poſſet, propter textum Juris Saxon. *lib.2.* Landr. *art.13.* in verb: Alle Mörder &c. und Mordbrenner/ oder die ihrer Herrn Botſchafft werben zu ihrem frommen/ oder von eines andern wegen/ die ſoll man alle radebrechen. Unde criminis hujus reos rotæ pœna affici de Jure Saxon. aſſerit Joach. â Beuſt. in *l.31.ff.de Jurejur. n.1179.* Sed quicquid ſit, hodie etiam in Foro Saxon. quod alias vigorem & autoritatem non habet, niſi quatenus uſu receptum eſt, ex generali Conſuetudine Incendiarii ignis ſupplicio ſubjiciuntur, juxta Sanct. Carol. Crim. quam Legiſlator Saxonicus diſerte comprobavit *p.4. Conſtit.17.* in verb: Nachdem denn ſolche Miſſethat unter die gröſten und atrociſſima delicta gerechnet/ auch ſolch grauſam und unmenſchlich Fürnehmen etliche Jahr ſehr gemein werden &c. So ordnen/ ſetzen und wollen Wir/ daß obbeſagte Verbrecher nicht weniger/ als andere Mordbrenner/ mit dem Feuer vom Leben zum Todte gerichtet/ und geſtraffet

In foro Saxonico Incendiarii quomodo puniantur?

werden ſollen. Add. Moller. *ad d. Conſt. n. 2. & ſeqq.* Dn. Carpz. *ad eand. Conſt. def. 1.* It. *pr. Crim. p. 1. qu. 38. n. 10. & ſeq.* Arnold. de Reyger. *in Theſ. Jur. de Incend. n. 5.*

§. 6.

An Pœna Incendii obtineat in fœminis & Nobilibus?

Procedit autem hæc pœna ignis in omnibus Reis, cujuscunque ſint ſortis ac conditionis, propter generalitatem Ordin. Crim. *cit. art. 125.* non habita ratione ſexus, modo doli ſint capaces; Hinc etiam fœminæ Incendium committentes pœnæ ignis ſubjacent, cum fœminæ æque graviter delinquant incendendo & comburendo ædes alterius, ac maſculi, quod etiam in Praxi obſervatur, ut demonſtrat B. Dn. Carpz. *alleg. qu. 38. n. 19. & ſeq.* Idem obtinet in Nobilibus, vel aliis in dignitate conſtitutis perſonis, ut ignis ſupplicio ſubjiciantur. Jus quidem Civ. ejusmodi perſonis aliquo modo veniam tribuit & mitiorem pœnam infligi jubet, ceu patet ex illis, in anteced. ſunt dicta; A diſpoſitione tamen hujus juris Conſuetudine contraria jam dudum receſſum, ut cum Dan. Moller. *lib. 4. Semeſtr. c. 31. in fin.* docet B. Dn. Carpz. *in Prax. Crim. cit. qu. 38. n. 23. & ſeq.* Accedit, quod generalitas verborum Ordin. Crim. non minus ad Nobiles, quam ignobiles extendenda veniat; Quapropter etiam Nobiles, æque ac ignobiles & vilioris conditionis homines, propter furtum pœna ſuſpendii puniuntur. Dn. Hahn. *ad Weſenb. tit. de furt. n. 15.* Dn. Philipp. *in Uſu Pract. ad. Inſt. lib. 1. Eclog. 1. per tot.*

§. 7.

Num Pœna ignis afficiendus ſit is, qui in villa incendit?

Et licet de Jure Civ. ſeverior in Civitate, quam extra illam & in villis incendentium ſit pœna, per ea, quæ antea ſunt propoſita; Hodie tamen æqualis eſt pœna Incendiariorum, ſive in Civitate, ſive in villa aut pago incendium fecerint, ob generalitatem textus Ordin. Crim. *art. 125.* Non enim qualitas loci combuſti, ſed potius damnum

ex

ex incendio imminens vel malitia delinquentium attendenda venit, Moller. *d. lib. 4. Semeſtr. c. 31. circ. fin.* Berlich. *p. 4. Concl. 24. n. 32.* Andr. Rauchb. *p. 2. q. 10. n. 7. in fin.* Hinc ignis ſupplicio non minus afficiendus eſt is, qui domum ruſticam ſive tugurium, horreum aut ſtabulum incendit, ac is, qui in civitate Palatium igne comburit, per ea, quæ latius tradit Dn. Carpz. *cit. qu. 38. n. 28. & ſeq.* ubi idem aſſerendum eſſe putat de illis, qui non ædificia aliaque quæ ſub appellatione ædificiorum continentur, ſed frumentorum acervum, ligna & ejusmodi ſimiles res doloſe comburunt. Porro hæc pœna habet locum, ſive ingens & magnum, ſive modicum damnum ex inflammatione provenerit, quia non qualitas damni per combuſtionem dati, ſed delicti atrocitas & Incendiarii nequitia pœnæ ſeveritatem in hoc delicto exigit. Arnold. de Reyger. *in Theſ. Jur. de Incend. n. 6. in addit.* Dn. Carpz. *p. 1. Pr. Crim. q. 38. n. 38. & ſeq.* quam ſententiam Conſt. Elect. *17. p. 4.* comprobare videtur, quæ eos quoque, qui animo nocendi materiam igni concipiendo aptam alicubi depoſuerunt, licet effectum res conſecuta non ſit, nec ignis urere cœperit, flammis ultricibus comburi jubet. Vid. Moller. *ad. d. Conſt. 17. n. 2.* Magn. Dn. Struv. *Ex. 49. th. 67.* In Collegio tamen Juridico Jenenſi pœnam Incendii parvi, ex quo nulli homines perierunt, non ignis, ſed gladii eſſe, cum alleg. præjudiciis docet Nobil. Dn Bechmann/ *tom. 2. p. 2. Ex. 6. n. 66.* Sicut etiam alleg. Conſt. de hoc caſu explicandam eſſe vult Dn. Carpz. *cit. loc. n. 41. & 42.* ſi materia igni concipiendo apta non ſolum in ædibus depoſita, ſed etiam inflammata fuerit, licet ipſæ ædes nondum ardere coeperint, quanquam & hoc in caſu Inclyt. Facult. Jurid. Jenenſ. illi, qui incendium minatus eſt & ad actum proximum pervenit, teſtante Nobil. Dn. Bechmann/ *cit. loc. n. 6.* poenam dictarunt gladii, prout reſp.

*M. April. 1609.* in caſu, quo quidam novercæ ædibus Incendium non modo minatus fuit, ſed & ſtraminibus incenſis ad actum proximum pervenerat.

§. 8.

Quomodo Mandans & Mandatarius puniatur?

Si vero ad mandatum alterius Incendium factum ſit, non ſolum mandatarius, ſed etiam mandans pœnam Incendii incurrit. Nihil enim refert, an propriis manibus quis incendat, an vero alterius ope id faciat. Nam quod quis per alium facit, id ipſemet feciſſe cenſetur. *l. 169. ff. de R. J. c. 72. de R. J. in 6.* Et ſane mandans triplici modo delinquere videtur, tum in ſe ipſum, tum in mandatarium, quem corrumpit, ut incendat, tum in eum, cujus ædes comburuntur. Gl. *in l. 4. §. 4. in verb. in ſervitute. ff. de his, qui not. infam.* Cæpoll. *Conſil. 34. n. 48.* Joſeph. Maſcard. *de Probat. l. 2. Concl. 1012. n. 1.* Mandatarius vero gravius delinquit, quod lucri cauſa & ſpe adipiſcendæ pecuniæ tam horrendum crimen perpetrat, quia pecunia interveniens regulariter delictum aggravat. Proſp. Farin. *Prax. Crim. p. 5. q. 123. n. 5.* Jacob. Menoch. *de arbitr. Jud. quæſt. lib. 2. caſ. 357. n. 14.* Sed hoc, quod mandatarius pœna ignis afficiendus ſit, procedit, ſi promiſſionem nefandam impleverit. Magn. Dn. Richter / *vol. 2. Conſ. 350. n. 15.* Si vero nec ignem poſuerit, nec etiam poſt promiſſionem quicquam fecerit, non ignis ſupplicio, ſed gladii pœna plectendus erit, quod diſerte probat Conſt. Elect. *17. p. 4.* in verb: Daß die jenigen / welche ſich mit Geld oder in andere wege zu Mord und Brennen beſtellen und annehmen laſſen / mit dem Schwerdt ſollen gerichtet werden / wenn auch gleich darauff nichts ferner erfolget. Add. Magn. Dn. Richter / *cit. loc. n. 16.*

§. 9.

Quomodo is ſit puniendus, qui

Quæritur autem hic, ſi quis proprias ædes incendat, an & is ſupplicio ignis afficiendus ſit? Et Reſp. quod ſic, ſi eo fine

eo fine hoc faciat, ut, combuſtis ædibus propriis, ignis vicinorum quoque domus conſumat, licet flamma mox extincta ſit, ut vicini ædibus nocere nequeat, quia per Incendiarium nequaquam ſtetit, quo minus vicinæ ædes inflammatæ fuerint. Dn. Carpz. *p. 4. Conſt. 17. def. 2.* it. *Prax. Crim. p. 1. q. 38. n. 46.* Si quis tamen proprias ædes incendat, ſaltim in hunc finem, ut oneribus & contributionibus liberetur, neminique damnum per hoc Incendium inferat, non ordinaria, ſed relegationis tantummodo pœna afficitur. Sic reſpond. Scabin. Lipſ. *M. Majo anno 1641.* ubi tamen hoc obſervandum eſt, quod inquiſitus hanc exceptionem in tortura obtinere debeat, per ea, quæ tradit Dn. Bechmann/ *ad ff. Tom. 1. p. 1. Ex. 15. n. 23.* Nam ſi Reus cauſam aliquam prætendat, ex qua conjecturari poteſt, ipſum non tam doloſe ac deliberato & perverſo animo, quam ex ſimplicitate delictum hoc commiſiſſe, pœna ordinaria haud quaquam, ſed mitior aliqua obtinebit. Variæ autem ejusmodi ſunt cauſæ, quia etiam injuſta & beſtialis delinquentem à dolo & malitia excuſare poteſt, præcipuè quoad pœnæ mitigationem. *l. 12. §. 3. ff. de liber. cauſ. l. 46. §. 7. ff. de furt.* Aym. Crav. *lib. 1. Conſ. 6. n. 89.* Nicol. Boër. *deciſ. 168. n. 11.* Proſp. Farinac. *Prax. Crim. lib. 1. q. 16. n. 64.* In hac varietate vero arbitrio judicis reliquendum erit, quænam cauſæ tanti ponderis ſint, ut reum à malitia excuſare & pœna Incendii eximere queant. Vid. Carpz. *in Pr. Crim. q. 39. n. 11.* — proprias ædes incendit?

§. 10.

Pœna Incendii, de qua hactenus dictum, aliquatenus pœnitentia mitigatur, delicto præprimis nondum conſummato, vel etiamſi in ipſo delicti actu interveniat, dum Incendiarius, ad damnum majus avertendum, homines extinguendæ flammæ gratia convocat, & quamvis, delicto præprimis perfecto, pœnitentiæ locus non ſit, ut tradit — Num propter pœnitentiam mitiganda pœna Incendii?

Covar-

Cavarruv. *lib. 2. Var. Reſol. c. 10. n. 3.* Attamen poena ordinaria ob veram, licet ſeram, poenitentiam mitigari poteſt, per ea, quæ eleganter proponit Dn. Carpz. *p. 4. Conſt. 17. def. 10.* & *Pr. Crim. q. 39. n. 5.* Purgatur ſiquidem aliquo modo per poenitentiam dolus. Hoſtienſ. *ad c. pro humanit. 1. de homicid. in 6. n. 22.* Felin. *in c. 1. X. de Præſumt. n. 4.* Jul. Clar. *in Pract. §. ult. qu. 6. n. 21.* Magn. Dn. Struv. *Ex. 49. th. 67.* Non tamen propterea veniam Incendiarius meretur, ſi damnum reſarcire velit, & ad reſtitutionem ſe offerat, quod rationibus confirmat Dn. Carpz. *cit. q. 38. n. 44.* Sicut nec offenſio antecedens Reum incendii relevat, quominus poena Incendii ordinaria plectatur, cum tantum delictum, quale eſt incendium, inter modos defenſionis legitimæ nunquam referatur, præſertim ſi offenſio diu anteceſſerit. Non enim vim illatam repellit, qui ex intervallo & deliberato animo delinquit. arg. *l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* Georg. Obrecht. *in tr. de neceſſ. defenſ. c. 11. n. 26.* Vid. Dn. Carpzov. *p. 4. Conſt. 17. def. 9. & laud. qu. 38. & ſeq.*

§. II.

An propter tranſactionem pœna mitiganda?

Quin etiam Tranſactio in præjudicium Magiſtratus convictum hujus criminis liberare nequit. *l. 5. §. ult. ff. ad L. Jul. de vi publ. l. 7. §. 12. ff. de pact.* Perez. *ad Cod. de tranſact. n. 13.* Nam quamvis per tranſactionem remittatur accuſatio à parte offenſa, iſta tamen ratio jus ſolum partis concernit, per quod nec tertio, nec Magiſtratui ſeu Judici, quo minus actionem inſtituere, aut poenam delicti Reo irrogari poſſit ordinariam, præjudicatur. Judex enim ex officio, vigore generalis Conſuetudinis, licet Actor deficiat, tranſactione non obſtante, inquirere poteſt, cum maxime interſit Reip. delicta impunita ne maneant. *l. 9. §. 5. ff. de publican. & vectig.* ut cæteri à delictis abſterreantur. *l. un.*

C. de

*C. de emend. propinq.* Ac quoniam quolibet ex crimine agi poteſt dupliciter, ad pœnam nempe applicandam parti & ad publicam vindictam. *l. 15. ff. ad L. Cornel. de falſ. l. ult. ff. de privat. delict.* poteſt quidem læſus in ſui præjudicium injuriam remittere. *l. 29. C. de pact.* non autem in Reip. Gl. & Bart. *in l. 2. ff. ad SCtm Silan.* Dn. Carpz. *Pr. Crim. p. 3. qu. 148. n. 4.* Dn. Hahn. *ad Weſenb. tit. de transact. n. 5.* Magn. Dn. Struv. *Ex. 6. th. 61.* Nobil. Dn. Bechmann / *ad ff. tom. 1. p. 1. Ex 8. n. 31.*

§. 12.

Infantes & furioſi an à pœna Incendii eximantur?

Porro quia hoc delictum ſine dolo non committitur, exinde ſufficienter conſtat, quod perſonæ, quæ rationis uſu carent, vel aliàs doli argui non poſſunt, à pœnâ propoſitâ eximantur. Hinc infantes & furioſi à pœna Incendiariorum prorſus abſolvuntur, cum illos innocentia conſilii tueatur, hos fati infelicitas excuſet. *l. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. 9. §. ult. ff. ad L. Pompej. de Parricid.* Et meritò ab hâc pœna furioſi liberi ſunt, cùm ſatis ipſo furore puniantur, nec afflictis addenda ſit afflictio. *l. 14. ff. de Off. Præſ.* Num autem & quomodo furioſi ob Incendium ante furorem commiſſum puniantur? controvertitur. Et eos tam civiliter, quàm criminaliter puniri, ex pluribus textibus patet, ita quidem, ut non mitigetur pœna, ſed ordinaria imponatur. *d. l. 14. ff. de offic. Præſ.* An autem furore adhuc durante ultimo ſupplicio affici poſſint? altioris eſt indaginis quæſtio. Et cùm ſemper ſpes ſanioris mentis ſupereſſe videatur, rectius ſtatuitur, pœnam ob periculum animæ, quod ſubeſt, eſſe differendam, donec ad ſanam mentem redierint, ut peccata ſua ante executionem confiteri poſſint. Interim propriis ſumtibus ſunt ſuſtentandi, ſi quos habent; Si verò non habent; unde vivant, de publico alendi veniunt. *d. l. 14.* Gœh. *Peric. 6. qu. Acad. 33.*

An & quomodo furioſus ob Incendium ante furorem commiſſum puniatur?

Quomodo Infantiæ proximi puniantur?

Quod de Infantibus eſt dictum, obtinet etiam in infantiæ proximis, quia communiter etiam dolo carent atque Infantibus æquiparantur. arg. §. 9. *Inſt. de inutil. ſtipul. l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil. l. 111. ff. de R. J. c. 2. X. de delict. pueror.* Et hæc eſt omnium recepta ſententia, ut dicit Placa *lib. 1. Delict. c 32. n. 6.* Add. Tiraqq. *de pœn. temper. c. 7. n. 6.* Gail. *2. Obſ. 110. n. 31.* Theodor. *in Coll. Crim. D. 10. th. 4. lit. E.* Gomez. *3. Var. Reſol. 1. n. 57.* Zobel. *p. 4. Diff. Jur. Civ. & Sax. diff. 1. n. 9.* Coler. *p. 1. Dec. 102. n. 7.* ubi Infantiæ proximos impunes declaratos teſtatur. Dn. Carpz. *in Pr. Crim. p. 3. qu. 143. n. 30.* Magn. Dn. Richter / *p. 1. Deciſ. 1. n. 48.* Dn. Philipp. *in Uſu Pract. ad Inſt. lib. 4. Eclog. 8. n. 5. & ſeq.* Interim tamen notandum, ſi Judex in hiſce impuberibus aliqualem malitiam & doli capacitatem deprehendat, quod tunc in totum à pœna non excuſentur, ſed arbitrariè, & ſi non ſeveriori aliquâ pœnâ, tamen carcere pro ratione delicti puniantur & virgis caſtigentur. Magn. Dn. Richter / *d. Deciſ.* Nobil. Dn. Bechmann / *ad ff. vol. 1. p. 1. Ex. 10. n. 49.*

Pubertati proximi quânam pœna pleſtantur?

Pubertati proximi itidem extraordinariè tantummodò puniuntur. Licet enim doloſum Impuberum judicium eſſe poſſit, infirmius tamen adhuc eſt, ut ita minor perverſitas in eis, quàm in majoribus appareat, adeoque ceſſante ordinariâ pœnâ, mitiùs & extraordinaria quadam pro arbitrio Judicis plectendi ſunt, prout communiter ſentiunt Dd. Vid. Vincent. Carot. *de minor. delict. excuſ. qu. 1. & 8.* Bertaz. *Conſ. Crim. 143. n. 14.* Theodor. *in Coll. Crim. D. 10. th. 4. lit. E.* Dn. Hahn. *ad Weſenb. tit. de furt. n. 15.* Dn. Carpz. *cit. qu. 143. n. 22.* Schulz. *in Synopſ. Inſt. tit. de obl. quæ ex del. naſc. lit. L.* Dn. Philipp. *cit. Eclog. 8. n. 12.* Magn. Dn. Richter. *d. Deciſ. 1. n. 57.* Magn. Dn. Struv. *Ex. 48. th. 10.* Magn. Dn. Strauch. *Diſſ. 29. aphor. 10.* Nobil. Dn. Bechmann / *laud. loc. n. 50.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-9575-p0042-2

*n. 50.* Minores verò quod attinet, etſi minorennitas delinquentem in totum neutiquam excuſet, quia tamen infirmitate aliqua laborant, ut minor perverſitas adſit, hinc & pœna Incendii ſeveriſſima ipſis remitti debet, ut gladio ſolummodo puniantur, arg. *l. 108. ff. d. R. J. l. 16. §. 3. ff. de pœn.* Vid. latius Dn. Carpz. *p. 4. Conſt. 17. def. 11. & Pr. Crim. p. 1. qu. 39. n. 14. & ſeq.* Nobil. Dn. Bechmann / *cit. loc. n. 51.* ubi tradit, quod pœna ordinaria propter minorennem ætatem mutari ſoleat à Principibus in aliam, hocque per præjudicium Scabin. Lipſ. *M. Mart. anno 1617.* latum confirmat, in quo puero incendiario pœna ordinaria ignis eſt dictata, addita clauſula, niſi velit Superior propter teneram ætatem ipſi remittere hanc pœnam, ſic enim ſaltem pœna gladii afficeretur.

Minores quomodo puniantur

§. 14.

Quæritur autem: an Reus Incendii doloſi, præter pœnam corporis afflictivam, adhuc reſtitutione damni onerandus ſit? Negant hoc nonnulli ex ea ratione, quòd leges omnes, quæ de reſtitutione damni agunt, loquantur non de Incendio dolo dato; Sed de tali, quod ex negligentia quadam exortum eſt, quod quidem de Jure Saxon. procedit, ſecundum quod Reus, quoties pœnam mortis vel ſangvinis ſive corporis afflictivam patitur, ad reſtitutionem damni & rerum Incendio conſumtarum non tenetur, uti tradunt Moller. *ad Conſt. Elect. 12. p. 4. n. 7. ibique* Reinh. Roſ. *in addit.* Modeſtin. Piſtor. *p. 1. q. 11.* Petr. Heig. *p. 1. qu. 23. n. 20.* Dn. Carpz. *cit. q. 39. n. 43.* Adſtipulatur Franciſc. Marc. *p. 2. Deciſ. Delph. 191. n. 2.* Aliàs de Jure communi aſſerunt vulgò Dd. Incendiarium cum pœna mortis inſimul ad reſtitutionem damnorum & rerum Incendio abſumtarum teneri. Bart. *ad l. 1. ff. de off. Præf. vigil. n. 5.* Menoch. *lib. 2. arbitr. Jud. quæſt. caſ. 390. n. 27.* Proſper. Farinac. *p. 3. Prax. Crim. q. 110. n. 9.* Mynſing. *Cent. 6. Obſerv. 88. n. 5.*

Incendiarius doloſus num præter pœnam ad reſtitutionem damni teneatur?



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-9575-p0043-7

Nam ex quolibet delicto duplex actio oritur, criminalis ad pœnam publicam, & civilis ad damni vel ejus, quod intereſt, præſtationem. *l. 23. §. 6. ff. ad L. Aquil. l. 3. §. 6. ff. de tab. exhib. l. 56. ff. pro Soc. l. fin. ff. de furt. l. fin. ff. de priv. delict.* Quapropter Arnold. de Reyger. *in Theſ. Jur. cit. loc. n. 12.* tradit, quod is, cujus dolo Incendium eſt factum, civili actione ad damni reſtitutionem iis, quibus ratione Incendii nocitum eſt, teneatur, usque adeò, ut ſimultaneo Proceſſu ad pœnam & ad damni reparationem criminali & civili actione conveniri poſſit. Add. Joſeph. Ludovic. *Deciſ. 25. n. 11.* Grammat. *Deciſ. 3. n. 18.* Lancell. *de Off. Præt. in cauſ. Crim. c. de Incendiar. n. 7.* And. Rauchb. *cit. qu. 2.* & hoc Jus Can. quoque approbat in *c. 32. c. 23. q. 8. c. 5. X. de raptor. & Incendiar. c. 6. X. de Injur. & dam.*

§. 15.

Diffidator quisnam ſit & quomodo puniatur?

Incendiariis ſimiles fermè ſunt Diffidatores, qui per diffidatorias literas Univerſitati Incendium minantur, & ſigna diffidatoria ſuſpendunt, aut papyrum cum pulvere tormentario, aut ejusmodi ſimilia, vulgò Brandzeichen dicta, in pagis vel oppidis affigunt, quibus tantum detrimenti incendio ſe allaturos minantur, ut ædificia pagorum vel oppidorum combuſta & in cinerem redacta jaceant. Steph. *ad Ordin. Crim. Carol. art. 128.* Möller. *ad Conſt. Elect. 15. p. 4.* Et quia delictum hoc grave eſt, meritò delinquentes pœna gladii puniuntur. Receſs. Imp. *de anno 1555.* §. Als ſich denn auch. Ordin. Camer. *p. 2. tit. 14.* Ordin. Crim. Carol. *art. 128.* Conſt. *Elect. 14. p. 4.* Gilh. *in arb. Jud. Crim. c. 2. tit. 8. circ. fin.* Petr. Heig. *p. 2. q. 32. n. 10.* Magn. Dn. Richter / *vol. 2. Conſ. 350. n. 2. & 3.* Quod & verum eſt, etiamſi quis uni ex populo inimico ſuo Incendium minitetur, ſigno inflammationis in ejus ædibus affixo. Nam talis æquè diffidator eſt, ut propterea gladio puniri debeat.

Licet

Licet enim hoc in caſu diffidatio ad unum ſolummodò dirigatur, attamen minæ ad totam communitatem pertinent, cui Incendium unius domus nocere poteſt, per ea, quæ tradit Dn. Carpz. *in Pr. Crim. p. 1. qu. 37. n. 24.* Add. Magn. Dn. Struv. *Ex. 48. th. 71.* Atque ſic à Scabin. Lipſ. ad Conſultat. Quæſt. in Zörbigk reſponſum eſt. Quin etiam pœna gladii obtinet, ſi Diffidatores inflammationis ſigna affixerint, licet alias nihil damni ab ipſis datum ſit, quod expreſſis verbis probat Conſt. Elect. *14. p. 4.* Rationem proponit Dn. Carpz. *d. qu. 37. n. 27.* Idque per præjudicia allata confirmat. Add. Berlich. *p. 4. concl. 21. n. 21.* & Magn. Dn. Richter/ *alleg. loc. n. 4.*

§. 16.

Qui obtineat, ſi nudis verbis Incendium quis minetur?

Si quis tamen alicui nudis verbis Incendium, inflammationem, vel ſimile quid minetur, German. Er wolle einen rohten Hahn aufs Hauß ſetzen/ vel etiam ſi nudis verbis Univerſitati, Civitati vel pago incendii jactaverit minas: Er wolle die Stadt oder das Dorff anſtecken und in die Aſche legen &c. pro diffidatore haberi, ac pœna diffidationis quæ eſt gladii, affici nequit, per rationes, quas proponit Dn. Carpz. *laud. qu. 37. n. 70. & ſeq.* It. *p. 4. Conſt. 15. def. 3. & 4.* Magn. Dn. Richter/ *cit. Conſ. 350. n. 7.* Interim tamen in carcere tamdiu detineri debet, donec ſufficientem cautionem præſtet. arg. *l. 6. §. 2. ff. de off. Præf.* Vid. Ordin. Crim. Carol. *art. 176.* In verb. So ſoll dieſelbe unglaubhafftige/ boßhafftige Perſon in Gefängnis als lang/ biß die/ nach Erkäntnis deſſelben Gerichts/ gnungſame Caution und Beſtand für ſolche unrechtliche thätliche Handlung thut &c. Cautio autem hæc id continere debet, quod minitator non ſolum minitatum, ſed & ejus familiam, Magiſtratum alioſque homines offendere nolit. Bart. *add. l. 6. de off. Præſ. n. 9.* Farinac. *P. 3. Prax. Crim. qu. 107. n. 25.* Berlich. *p. Concl. 22. n. 14.* Dn. Carpz. *cit.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-9575-p0045-8

*cit. qu. 37. n. 79. & ſeq.* Magn. Dn. Richter / *cit. loc.* Et ſic in Illuſt. Colleg. Jurid. Jenenſ. *Mr. 1622.* C. K. Amtſchreibern zu E. reſponſum fuit: Daß Jacob R. biß ſo lange er der Bedrohung halber einen gnungſamen Vorſtand beſtellet / ferner in Verhafftung zuhalten / und nach auffgerichteter Caution wegen ſeiner Verbrechungen und Miſſethaten / des von ihm angezogenen Trunckes ungeachtet / auff vorgehenden öffentlichen Wiederruff / mit Staupenſchlägen des Landes ewig zu verweiſen / V. R. W. Si vero minitator cautionem præſtare nequeat, ad majus periculum avertendum, donec cautionem præſtiterit idoneam, in carcere detineri debet. Si non habeat unde vivat, minitatus, vel etiam ſi nec hic alimenta ſuppeditare poſſit, Fiſcus illa erogare debet, quod confirmatur per Ordin. Carol. *art. 176.* in verb: und wo er ſich von ſeinen ſelbſt Gütern in ſolcher Gefängnis zu erhalten nicht vermöchte / ſo ſoll alsdenn durch den Ankläger &c. in verb: Wo nun der Ankläger ſolchen Koſten auch nicht vermöchte / ſoll die Obrigkeit denſelben tragen. Add. Joh. Koppen. *Deciſ. 29. n. 25.* Quod ſi vero minitatus detrectet præſtationem alimentorum, Reus præſtita Urpheda relegari poteſt, uti pronunciatum fuit in celeber. Dicaſt. Jenenſ. *M. Novembr. 1627.* ad requiſit. Joh. Schmidts / Stadt- und Land-Richters zu Schlaitz: Da die Feuer Bedrohung zuvor beſchehen / ſo iſt inquiſit auff der in groſſe Furcht und Gefahr geſtürtzten Perſonen Begehren / und auff ihre / jedoch nicht übermäſſige Koſten ſo lang in gefänglicher Hafft / biß er ihnen einen annehmlichen Vorſtand beſtelle / zu laſſen / und wider ihre Einwilligung nicht auff einen eydlichen Vorſtand des Gefängniſſes zuerleidigen; Da ſie aber ſolche Unkoſten zu tragen ſich verweigern / ſo iſt obangeregter H. B. auff vorgehende Uhrfehde und eydliche Caution, mit ab hauung der zwey fördern Finger / damit er geſchworen / der Reuſſiſchen Herrſchafft anderweit zu verweiſen / mit ernſter Bedrohung / da er abermahl

Quomodo procedendum, ſi minitator cautionem præſtare nequeat?

in dem

in dem Reuß. Herrſchafften ſich betreten laſſen würde / daß ihm alsdenn die Leibes und Lebensſtraffe ohne alle Gnade wiederfahren ſolle / V. R. W.

§. 16.

Hactenus de malitioſo incendio, ſequitur nunc culpoſum, quod vel latâ vel levi, vel etiam leviſſima culpa committitur, uti in *cap. 1. huj. noſtr. Diſp.* latius eſt dictum. Quamvis autem de pœna hujus Incendii culpoſi Dd. non conveniant, uti videre licet apud Angel. Aretin. *intr. de malef. verb. Incendiario. n. 4.* Menoch. *lib. 2. arbitr. Jud. qu. caſ. 390. n. 17. & ſeq.* Berlich. *p. 4. concl. 25. n. 3.* Vera tamen illorum ſententia videtur, qui pœnam culpoſi Incendii arbitrariam eſſe dicunt. Quando enim pœna certa legibus definita non eſt, animadverſio arbitraria locum habet; Præterea culpa non una eademque eſt, hinc nec uniformis pœna in Reos culpoſi Incendii ſtatui poteſt. Majorem enim pœnam culpa lata, quam levis vel etiam leviſſima exigit, quia pœnæ ſemper delicto commenſurari debent. *l. 11. pr. ff. de pœn. l. 1. §. 2. ff. de abig. c. ult. verſ. cæterum. de pœn. in 6.* Et hanc ſententiam tuetur Schneidevv. *ad §. 13. Inſt. ad L. Aquil. n. 5.* Arnold. de Reyger. *in Theſ. Jur. de Incend. n. 1.* Hinc Judex pro arbitrio ſuo ob Incendium parvum, levi aut leviſſima culpa commiſſum, mulctam pecuniariam vel carceris pœnam, ſi vero lata culpa commiſſum ſit, relegationem vel etiam fuſtigationem infligere poteſt. *l. 3. §. 4. ff. de Off. Præf. vigil.* Mynſing. *cent. 6. Obſ. 88. n. 9.* Berlich. *p. 4. Concl. 25. n. 8.* A qua pœna ebrietas aliquem eximere nequit, per ea, quæ poſt Angel. Aret. *de malef. cit. loc. n. 5.* tradit Dn. Carpz. *ſæp. alleg. qu. 39. n. 36.* ubi inſimul refert, quod Scabin. Lipſ. pœnam fuſtigationis dictarint in caſu, quo per ebrii cujusdam polentam torrefacientis, vulgo eines Meltzers / negli-

Pœna Incendii culpoſi.

negligentiam & latam culpam Incendium magnum exortum, ac ingens damnum datum fuerat.

§. 18.

Reus Incendii culpoſi an ad reſtitutionem damni teneatur?

Non ſolum vero Reus Incendii culpoſi ad pœnam arbitrariam, ſed inſuper etiam ad damni & rerum Incendio conſumtarum reſtitutionem tenetur. *l. 9. verſ. Si vero. ff. de Incend. ruin. naufr. l. 28. §. 12. ff. de pœn. l. 30. §. ult. ff. ad L. Aquil. c. 5. & c. 6. X. de Injur. & dam. dat.* Mynſing. *cent. 6. Obſ. 88. n. 9.* Gail. *lib. 2. Obſ. 22. n. 2.* Berlich. *p. 4. Concl. 25. n. 10.* Dn. Carpz. *cit. qu. 39. n. 39.* Idque adeo verum eſt, ut Incendiarius, qui hoc caſu ex inopia damnum emendare non poteſt, ſeveriori pœna coerceri debeat. *d. l. 9. ff. de Incend. ruin. naufr. d. l. 28. §. 12. ff. de pœn.* Gilh. *in arbor. Crim. c. 2. tit. 11. n. 3.* Incendiarii ſiquidem culpabiles, ſi ad reſtitutionem damni idonei non ſint, corporis caſtigatione tenentur. *l. 3. ff. de off. Præf. vigil.* Joſeph. Ludov. *Deciſ. Peruſ. 25.* Menoch. *lib. 2. de arbitr. Jud. quæſt. caſ. 390. n. 23.* Weſenb. *in parat. ff. tit. de Incend. ruin. naufr.* Arnold. de Reyger. *in Theſ. Jur. de Incend. n. 14.* Dn. Carpz. *d. qu. 39. n. 48.* Nec in foro Sax. aliud receptum. Quamvis enim ibidem, ſi Incendiarius pœna corporis afflictiva vel mortis puniatur, ut in antecedentibus eſt monitum, ad reſarcitionem damni non teneatur; Interim tamen, ſi reus nec mortis, nec alia corporis afflictiva pœna puniatur, ſimul etiam in foro Sax. ad reſtitutionem damni obſtrictus eſt, ſec. diſpoſitionem Juris Civ. quæ eatenus à Jure Sax. non abrogata aut correcta. Vid. Carpz. *cit. loc. n. 46.*

§. 19.

Ad reſarcitionem damni agens culpam probare debet.

Hic autem in genere ſciendum eſt, quod ad refuſionem agens probare debeat, qua culpa ſit excitatum Incendium, per tritam Juris regulam, quod Actori incumbat probatio. *§. 4. Inſt. de legat. l. 2. ff. de probat. & præſ.* Et omni-

no

nihil de debita diligentia remiſerit, ſi modo fuerit probatæ fidei ac diligentiæ. arg. *l. 5. §. 6. ff. de re milit.* Ut propterea culpam arguens illam docere neceſſe habeat. Maſcard. *de probat. vol. 1. concl. 418. n. 3.* Weſenb. *in parat. ff. de probat. n. 15.* Finckelth. *Obſ. 89. n. 14.* Schultz. *in Synopſ. Inſt. tit. ad L. Aquil. lit. D.* Neque etiam culpam uxoris aut liberorum præſtat maritus, ceu teſtatur Magn. Dn. Richter/ *vol. 2. Conſ. 350. n. 21.* Præſumitur quidem ſecund. *l. 3. §. 1. ff. de off. Præf. vig.* Incendium inhabitantium culpa plerumque exortum. Hæc tamen culpa præſumta non ſufficit ad condemnandum aliquem ad damni reſtitutionem, prout quidem Moller. *lib. 4. Semeſtr. cap. 31.* aſſerit, putans Actoris intentionem ſola præſumta culpa eſſe fundatam, ut ad damni reſtitutionem agere poſſit, niſi inhabitator ſuam ſuorumque domeſticorum culpam abfuiſſe probaverit, quod onus ei præciſe incumbat. Atque hanc ſententiam Lubl. *de Incend. c. 5. n. 18. & ſeq* Fachin. *lib. 1. controv. cap. 87.* Græv. ad Gail. *lib. 2. obſ. 21. conſid. 1.* Vinn. *lib. 1. ſelect. qu. 33.* Aliique ſequuntur, quin etiam Dn. Carpzov. *cit. quæſt. 39. n. 62. & ſeq.* defendit, ſicque aliquoties Scabin. Lipſ. pronunciaſſe refert.

§. 20.

Confirmatur prius dictum.

Sed Probatio Actori incumbit, quia, certi hominis factum arguat, neceſſe eſt. arg. *l. 6. §. 4. ff. Naut. caup. ſtabul.* Præſumtio enim Incendii, quæ contra inhabitantes oritur, generalis tantummodo, nec certæ ac determinatæ perſonæ eſt, cujus vi ſtatim condemnari paterfam. nequit, ſecund. *l. 11. ff. de peric. & commod. rei vend.* Quia ſine culpa Patrisfam. Incendium fieri poteſt, neque ſi ſervorum negligentia factum eſt, continuo Dominus in culpa erit Harpr. *ad §. 13. Inſt. ad L. Aquil. n. 13.* Dn. Philipp. *in Uſu Pract. ad Inſt. lib. 4. Eclog. 17.* Accedit, quod non probata culpa



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-9575-p0049-4

certi hominis remaneat incertitudo, & per conſequens ſententia condemnatoria, quæ certa eſſe debet, ſequi non poſſit. §. 32, *Inſt. de Act. ibique* Schneidevv. *n. 22. & ſq.* Magn. Dn. Struv. *Ex. 44. th. 5.* Quis autem ex ſuſpicionibus & conjecturis aliquem condemnaret? quarum vix ulla ſe hic offert, cum nemo ita præſumatur negligens & diſſolutus eſſe, ut ſocordia & incuria ſua non tantum bonis fortunisque ſuis, ſed & conjugi, liberis, aliisque inhabitantibus ac vicinis damnum & calamitatem, ſibi denique ipſi vitæ diſcrimen & periculum accerſat. *arg. l. 25. pr. ff. de probat.* Finckelth. *cit. obſ. 89. n. 15.* Manet ergo, quod is, in cujus ædibus Incendium exortum eſt, ad damnum reſarciendum non teneatur, niſi culpa ejus Incendium excitatum fuiſſe ab Actore liquido probatum fuerit, *arg. l. pen. ff. de Incend. ruin. naufr. l. 5. §. 4. ff. Commod. l. 23 ff. de R. J.* Virg. Pingiz. *qu. 24.* Arum. *Ex. 17. th. 14.* Petr. Theodor. *in Colleg. Crim. Diſp. 11. th. 14.* Dn. Hahn. *ad Weſenb. tit. de off. Præf. vig.* Magn. Dn. Struv. *Ex. 23. th. 96.* Nobil. Dn. Bechmann/ *tom. 1. p. 1. Ex. 15. n. 24.* Atque ſic cum Scabin. Hallenſ. JCti Wittebergenſes & Jenenſes hactenus pronunciarunt, uti docet Reſponſum ad requiſitionem Elſen / G. B. Eheweibs zu Scherba / in Dicaſt. Jen. *M. Jul. 1633.* latum, in verbis: Wobey nun angedeutet euere Nachbarn / welche auch dieſe Feuers-Brunſt wegen Schaden erlitten / daß dieſelbe in euerm Hauß / durch euer oder der eurigen und dero gewiſſen Perſonen Nachläßigkeit und Verſehung auskommen / nach verſtändiger Leute Gutachten nicht dargethan und erwieſen / ſo iſt euer Gegentheil an wieder auffbauen / und zu Zimmeritz zu wohnen / auch die durch GOttes Segen erwachſene Früchte einernden euch zu hindern nicht befugt / V. R. W. Noviſſime Legiſlator Saxon. hanc ſententiam confirmavit deciſ. 80. in verb. Hingegen haben

ßen andere dafür gehalten / es wäre der Haußwirth bloß allein aus dieſer Urſache / daß bey ihm das Feuer entſtanden / mit ſolchem Beweiß nicht zu belegen / ſondern der jenige / welcher deßwegen bey ihm etwas ſuchen wolte / die culpam Verwahrloſung oder Unachtſamkeit / darauff ſich ſeine Klage gegründet / vermöge der Rechte und der præſumtionen ſo regulariter jeglichem Haußwirth hierin zu ſtatten kommen / vor allen Dingen beyzubringen verbunden; Weil den ſolches der Billigkeit und vieler Rechts-Lehrer Meinung nicht ungemäß / ſo ſoll hinführo der Beweiß auch in dieſem Fall dem Kläger zu erkant werden / ꝛc.

§. 21.

An Dominus propter culpam Miniſtrorum teneatur?

Ex hac itaque ſententia colligitur; culpam certi hominis eſſe probandam. Virg. Pingiz. *d. qu. 24.* Nec ſufficit ſi Actor probarit, Incendium culpa lata vel levi in alicujus ædibus excitatum eſſe. Joſeph. Ludov. *Deciſ. 25. n. 18.* Grammat. *Deciſ. 3. n. 4.* Berlich. *p. 4. concl. 25. n. 81.* Magn. Dn. Richter / *d. Conſ. 350. n. 24.* Quapropter ſtatim a Domino præſtatio damni exigi nequit, ſi ſervus in cauſa eſt. *l. 11. ff. de peric. & comm. rei vend.* Cui ſæpe numero Dominus uſum, qui ſpeciem damni præ ſe fert, interdixit, ſervus tamen his neglectis ſuo remigio rem geſſit. Quapropter miniſtri ſi extra officium ſibi commiſſum quid patrarint, Dominum non obſtringunt, cum ipſi nulla imputari poſſit culpa. Andr. Rauchb. *p. 2. qu. 10. n. 62.* Ex eadem ratione paterfam. a præſtatione damni immunis eſt, ſi per negligentiam Cereviſiariorum, eorumve, qui polentam torrefaciunt, Germ. der Mälzer und Brauer / atque ſimilium mercenariorum, quos alii ad operas adhibere ſolent, Incendium fuerit exortum, quia is, quia facit, quod alii facere ſoliti ſunt, in culpa eſſe nequit. arg. *l. 3. ff. ad SCtm Maced.* Gozadin. *Conſ. 63. n. 18.* Cephal. *Conſ. 362. lib. 3.* Decian.

 *lib. 1.*

*lib. 1. Reſponſ. 26. n. 16.* Arnold. de Reyger. *in Theſ. Jur. de Incend. n. 15.* Dn. Carpzov. *p. 4. Conſt. 17. def. 14.* Quandoque tamen Dominus ad reſtitutionem damni ex facto ſervi tenetur, ſi forte circa officium a Domino demandatum deliquerit. arg. *l. 5. §. 11. ff. de inſtit. act. l. 27. §. 9 ff. ad L. Aquil. l. 1. C. ad L. Jul. repetund.* Gail. *lib. 2. Obſ. 21. n. 6.* Quia Domini diligentis eſt, bonos ſervos ad miniſterium ſuum eligere, & explorare, an probatæ fidei & innocentiæ ſint, quos operis ſuis adhibere ſolet. *l. 3. ff. d. Publ. & vectig. l. ult. §. 4. ff. naut. caup. ſtabul.* Alioquin mala electio famulorum negligentiæ Domini annumeratur. Finckelth. *alleg. Obſ. 89. n. 17.* Dn. Philipp. *in Uſu Pract. ad Inſt. lib. 4. Ecl. 17.* præprimis ſi eos, ab amicis aut vicinis forte monitus, non ejiciat. Tunc enim, ſi unus ex familia damnum dederit, tenetur, cum ſibi imputare debeat, quod tales conduxerit. *d. text.* Dn. Philipp. *cit. loc.* Vid. illa, quæ *cap. 1. hujus Diſſert.* §. 8. dicta ſunt. Confirmat hoc Deciſ. Elect. 79. cujus verba inter alia hæc ſunt: Und ordnen hiermit / daß kein Hauswirth / bloß umb deß willen / daß in ſeinem Hauſe eine Feuersbrunſt entſtanden / darbey ihn ohn das der gröſte Schade betrifft / zu Erſtattung des Schadens angehalten / ſondern nur die jenige Perſon / durch deren Schuld / Unfleiß / Verwahrloſung und Unachtſamkeit das Feuer auskommen / belanget / angeſtrenget / und nach Befindung denen abgebranten Leuten ihren erlittenen Schaden wieder zu erſetzen angehalten / oder in mangel des willkührlichen beſtraffet werden ſoll. Es were dann das Feuer durch des Haußwirhts eigene Schuld und Fahrläßigkeit entſtanden / oder er wäre ſeines Geſindes halben von Nachbarn oder andern gewarnet / und hätte doch ſolches nicht abgeſchaffet / auff dieſen Fall iſt er zu antworten und nach befindung den Schaden zu erſetzen ſchuldig. Add. Magn. Dn. Richter /

*p. 1.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-9575-p0052-7

*p.1. Conſ.32. n.16.* ibique alleg. Farinac. *p.3. Pr. Crim. q. 110. num. 121.*

§. 22.

Quæritur autem, an in caſu Incendii quis teneatur, ſi ſuas prætulerit, cum poſſit res commodatas facere? Quod affirm. *l.5.§.4. in fin. ff. Commod.* Exactiſſimam ſiquidem diligentiam & quidem majorem, quam ſuis rebus, commodatarius adhibere debet rebus commodatis, quia illarum uſus ipſi gratis conceſſus eſt. *l.18. pr. ff. Commod. §. 2. J. quib. mod. re contr. obl.* Quapropter proprias illis præferre non debet; Alias commodans juſtiſſime allegare poteſt, ſe non fuiſſe id damnum paſſurum, ſi rem ſuam non commodaſſet. arg. *l.61. §.5. ff. de furt.* Zœſ. *ad ff. tit. Commod n.12.* Et quamvis Gl. aliique Dd. hoc limitare velint in caſu, ſi res propria fuerit pretioſior, commodata vilior; Tamen *d. text.* eorumque rationi limitatio hæc congruere non videtur. Invidendum quidem Domino non eſt, quod res ſuas pretioſiores interitui eripiat; Interim commodanti quoque, cujus res viles neglectæ ſunt, ſatisfaciendum eſt, per ea, quæ tradit Magn. Dn. Struv. *Ex 19. th. 8.* Add. Zœſ. *ad ff. cit. loc.* Sed an idem in depoſito obtineat, ſi oborto Incendio depoſitarius res ſuas prætulit, cum depoſitas ſervare potuiſſet? diſquiritur. Pro negativa facit hoc, quod depoſitarius de dolo & lata culpa tantummodo teneatur, *per l.5. §. ff. Commod. l. 23. ff. de R. J. l. 32. ff. depoſ.* Hinc Magn. Dn. Struv. *Ex. 21. th. 37.* cum Caroz. *in tr. de depoſ.* concludit, quod depoſitarius res depoſitas ſuis præferre non teneatur, quando utrasque ſalvas facere nequit. Add. Dn. Brunnem. *ad l.1.C. depoſ.* Contrariam ſententiam tuetur Dn. Hahn. *in Comment. ad Weſenb. tit. depoſ. n.14.* eamque per præjudicium *Colleg. Jurid. Helmſtad.* confirmat. Porro utens domo ſibi locata vel

An tempore Incendii res commodatas quis ſuis præferre debeat?

Quid in rebus depoſitis obtineat?

 pre-

precario conceſſa ultra tempus præfinitum an teneatur damnum ex Incendio familiæ ſuæ culpa orto illatum reſarcire? quæritur. Quia ſine voluntate Domini res alienas detinuit, indeque ſemper in culpa eſt, per *l. 8. §. 1. l. ult. ff. de Condict. furt.* & ſe immiſcuit rei, ad ſe non pertinenti, ita culpa carere nequeat. *l. 36. ff. de R. J.* teneri illum de periculo, aſſerit Modeſt. Piſtor. *p. 1. qu. 25.* Atque ſic *Menſ. Jun. 1561.* deciſum fuiſſe refert Jung. Arnold. de Reyger. *in Theſ. Jur. cit. loc. n. 2. in addit.*

§. 23.

An propter caſuale Incendium quis teneatur?

Caſuale Incendium quod attinet, indubitati Juris eſt, neminem de eo teneri. Hinc prodiit German. illud: Es iſt ein Nachbar dem andern einen Brand ſchuldig/ per quod indigitatur æquum eſſe, ut ſi quid forte damni caſu acciderit, æquo animo patienter uterque ferat, de quo latius vid. Finckelth. *Obſ. 89. n. 38.* Caſus enim fortuiti a nullo veniunt præſtandi. *l. 23. ff. de R. J. l. 6. l. 9. C. de pign. act. l. 18. pr. ff. commod. §. ult. J. quib. mod. re contr. obl. l. 1. C. de commod.* Mynſing. *cent. 6. Obſ. 88. n. 4.* Dn. Brunnem. *add. l. 1. C. de Commod.* Exceptiones quasdam refert Magn. Dn. Struv. *Ex. 19. th. 44.* ad quas ſpectare videtur, quod Incendium non exuat debitorem ære alieno. *l. 11. C. ſi cert. §. 2. J. quib. mod. re contr. obl.* Ratio eſt in promtu, quod in mutuo non debeatur ſpecies, ſed quantitas. Quantitas autem perire nequit, *l. 30. §. 5. ff. ad L. Falcid.* Wiſſenb. *ad tit. ff. d. R. J. D. 4. th. 53.* Dn. Brunnem. *ad cit. l. 11. C. ſi cert. pet.* Præterea quia nonnunquam contingit, ædes ita eſſe contiguas, vel plures perſonas eandem domum inhabitare, ut in quibus ædibus ortum, aut cujus culpa Incendium cauſatum ſit, conſtare non poſſit, in dubio illud Incendium inter caſus fortuitos, quos nemo præſtare cogitur, connumeratur. *l. 23. in fin. ff. de R. J. l. 18. pr. ff. commod.* Quapropter nemo

Si de autore Incendii non conſtat, quid juris obtineat?

con-

condemnari poteſt, ſed omnes abſolvendi ſunt, niſi alicujus determinatæ perſonæ culpa probetur. Proſper. Farinac. *in Pr. Crim. p. 3. q. 110.* Berlich. *p. 4. Concl. 25. n. 85.* Finckelth. *Obſ. 98. n. 28.* Dn. Philipp. *in Uſu Pr. ad Inſt. lib. 4. Ecl. 17. n. 6. & ſeq.* Ad hoc autem, ut alicujus certi hominis culpa argui poſſit, optime ſuæ conſcientiæ conſulit Magiſtratus, ſi diligentisſime in eam, ut & in hoc, quænam ædes ardentibus flammis prius conſpicuæ fuerint, inquirat. Quapropter culpæ a legibus alias præſumtæ effectus hic eſt, quod Judex, ut ad notitiam autoris perveniat, omnes, qui in domo degunt, de ortu ignis, & ut autorem indicent, examinare poſſit. Proſp. Farin. *d. qu. 110. c. 2. n. 46.* Jac. Menoch. *lib. 2. arbitr. Jud. quæſt. cent. 4. Caſ. 390. num. 61.* Herm. Stamm. *de ſervit. perſon. lib. 2. c. 15. num. 23.* Finckelth. *cit. Obſ. 89. n. 29.*

§. 24.

Indicia contra aliquem ratione Incendii pugnantia.

In caſu vero hoc dubio non minima contra eum præſumtio eſt, qui monitus eſt a vicinis, ut ſeſe diligentiorem in igne cuſtodiendo exhibeat, vel ſibi a replendo aliquo loco caveat, tamen his omnibus neglectis more antiquo rem gerit. Porro incendii immisſi indicium eſt, ſi quis occulte præparaverit igneas faces, tela ignea, vel fomenta ſuccendentia, quæ in ædificia commode immitti poſſunt, paulo poſt vero Incendium ortum, & conficiens ſuſpecta perſona ſit. Vid. Ordin. Crim. Carol. V. *art. 41.* ibi: Wenn einer eines heimlichen Brandes verdacht oder beklagt würde/ wo dann derſelbe ſonſt ein argwohnlicher Geſelle iſt/ und man ſich erkundigen mag/ daß er kurtz vor dem Brand/ heimlicher und verdächtiger weiſe/ mit ungewöhnlichen verdächtigen Feuerwercken/ damit man heimlich zu brennen pflegt/ umgangen iſt/ das giebt redliche Anzeigung der Miſſethat. Add. Dn. Carpzov. *p. 3. Pr. Crim.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-9575-p0055-4

*Crim. qu. 122. n. 80.* Idem obtinet, ſi unicus teſtis, omni exceptione major, viderit Incendiarium prope domum oberrantem, cum igne aliisque inſtrumentis ad comburendum aptis. De minis vero disquiritur: An ſufficiens indicium faciant? Et quidem, ſi minas delictum ſubſecutum ſit, illæque a perſona malæ famæ & vitæ factæ ſint, omnino indicium faciunt. Ordin. Crim. Carol. *art.* 44. Baptiſt. Zilet. *Conſ. 79.* Joſeph. Maſcard. *de probat. vol. 2. concl. 1062. n. 7.* Nec refert, an quis minetur Incendium expreſſe, Germ. Er wolle das Hauß anſtecken/ er wolle einen rothen Hahn aufs Hauß ſetzen/ an tacite ſive ænigmatice, ſi modo poſt minas has delictum commiſſum ſit. *d. art. 44.* Bodin. *lib. 44. Dæmonol. c. 2.* Valent. *D. 6. qu. 13. punct. 4. th. 2.* Si vero nullum damnum ſubſecutum fuerit, minæ inſuper tales ſint, quæ poſſunt ſignificare vindictam legitimam, veluti ſi quis dicat alicui: Ich will mich an dir rächen/ ich will es dir gedencken/ &c. tunc nullum ſufficiens indicium faciunt, quia in dubio in bonam partem de vindicta, quæ autoritate Judicis fit, accipienda ſunt. Hering. *de fidejuſſ. c. 5. n. 188.* Dn. Carpz. *p. 1. Pr. Crim. qu. 37. n. 87.* Magn. Dn. Richter/ *in Cent. Reg. Jur. reg. 3. n. 30.* Facit etiam huc, quod ſæpius multa verba proferantur calore iracundiæ, quæ executioni non mandantur, arg. *l. 7. §. 3. ff. ad L. Jul. Majeſt.* Gœdelm. *intr. de mag. l. 3. c. 10. n. 17. in fin.* Interim tamen nihilominus hic arbitrium Judicis interponendum eſſe, tradit Arum. *ad A. B. Diſcurſ. 6. th. 17.* ut vel ex perſonarum, vel verborum qualitate animum minitantis cognoſcat, & de hoc ſtatuat. Add. Dn. Carpz. *cit. qu. 37. n. 89.* Magn. Dn. Richter/ *d. l.*

# Notabilia nonnulla, ad materiam Incendii pertinentia, annectit.

## §. I.

*In depoſito miſerabili quid juris?*

PRopoſita pœna Incendiariorum & perſecutione damni illati, jam ſub fine noſtræ Diſſertationis nonnulla ſpecialiora conſideranda veniunt, & quidem (1) quod ſæpius propter imminens ex Incendio periculum res apud tertium deponatur, quod a Dd. depoſitum miſerabile vocatur, & in tantum eſt privilegiatum, ut ſi depoſitarius inficietur vel detrectet reſtitutionem depoſiti, in duplum condemnari poſſit. *l.1.§.1.& 2.l.18.ff.depoſ.* Ratio poſita eſt in majori perfidia, quæ committitur iſtis caſibus, quibus neceſſitas non permittit fidem amici in deponendo ſeligere, cui tuto & fideliter rem ſuam quis commendet; Ideoque nihil deponenenti imputari poteſt, cum electionis integram non habuerit libertatem, quod facit augeri & creſcere perfidiam. Pernicioſum enim & grave eſt, in cauſis hujusmodi fidem frangere. *l.1.§.4.biq;* Gothofr. *ff.depoſ.Zœſ.ad ff.t.dep.n.28.* Harpr. *ad §.3.Inſt.quib.mod.re contr.obl.n.52.* Treutl. *vol.1.Diſp.26.th.fin.lit.E. ibique.* Bachov. Ludvv. *Ex.11.th.10.lit.A.* Magn. Dn. Struv. *Ex.21.th.42.* In hæredes vero tali caſu in ſimplum tantum actio datur, niſi & ipſi eundem commiſerint dolum. *d.l.1.§.1.l.18.ff.depoſ.* atque ad hoc exemplum inter alia reſpicere Imperatorem in *§.1.Inſt.de perpet.& temp.act.* quamplurimi Dd. docent, quorum ſententiam cum Bronchorſt. *cent.4.aſſert.36.* & Hunn. *lib.4.var.reſol.p.6.qu.5.* ſequitur Hænon. *Diſp.22.*

*th. 6.* Verum depoſiti miſerabilis exemplum *d.* §. *1.* ſatis convenire non videtur, utpote ex quo hæredem in ſimplum, adeoque in ſolidum, etiamſi ex dolo defuncti nihil ad ipſum pervenit, teneri conſtat. *l. 1. §. 1. ff. de poſ. l. 7. §. 1. ff. eod. l. 49. de O. & Act.* Bach. atque Vinn. *ad d. §. 1.* Ludvv. *Ex. 16. theſ. 11.* Magn. Dn. Struv. *Ex. 47. th. 79.*

2.

Tempore Incendii ſi furtum vel rapina commiſſa ſit, quænam actio detur?

(2) Exorto Incendio ſæpius contingere videmus, quod homines occaſione Incendii furtum & rapinam exerceant, hinc non ſolum inter graviora furta connumeratur, ex incendio aliqvid rapuiſſe, dolove malo recepiſſe, vel damni quid dediſſe; Sed etiam, quia publice intereſt, nihil rapi in ejusmodi caſibus, in quibus potius ſuccurrendum afflictis, *l. 28. C. de Epiſc. audient. c. 2. c. 7. qu. 1.* actio contra raptorem & furem hunc per Edictum Prætoris intra annum in quadruplum, poſt annum vero in ſimplum eſt propoſita. *l. 1. pr. ff. de Incend. ruin. naufr.* Cujus Edicti utilitas & ſeveritas juſtiſſima eſt, per ea, quæ tradit Zœſ. *ad ff. tit. de Incend. ruin. naufr. n. 3.* Magn. Dn. Struv. *Ex. 48. th. 51.* Hæc actio neceſſaria quidem non fuit in raptorem, cum contra illum ſufficiat actio de bonis vi raptis, par huic pœna, exituque Judicii; Quia tamen improbiores ſunt, qui rapiunt eorum fortunas, qui Incendium paſſi ſunt, ideo Prætor quoque de his ſeparatim Edictum proponere voluit. Cum enim hujusmodi caſu res per tumultum incuſtoditæ, multorum injuriis ſint obnoxiæ, publice interfuit, ſeveritatem adhiberi, ne quid in ejusmodi tumultibus rapiatur. *l. 1. §. 1. ff. de Incend. ruin naufr.* Weſenb. *in parat. ff. eod. tit. numer. 2.* Wiſſenb. *ad ff. p. 2. Diſp. 30. th. 9.* Concurrit cum hac actione publicum Judicium L. Juliæ de vi publica, cujus pœnæ ſubjiciuntur, qui

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-9575-p0058-0

qui ex Incendio quid rapuerunt præter materiam. *l. 3. §. 3. ff. ad L. Jul. de vi publ.* Wiſſenb. *cit. loc.* E. is, qui tempore Incendii res per vim aut clam rapuit, non ſolum ut fur vel raptor civiliter, ſed etiam criminaliter puniri poteſt, prout docet *ex l. 4. ff. de Incend. ruin. naufr.* Dn. Brunnem. *ad Auth. Navigia. C. de furt.* Dicitur autem aliquid ex Incendio rapi, quod propter Incendium rapitur, vel ex igne, vel ex loco, ubi Incendium eſt, vel etiam ex adjacente. Vid. *l. 1. §. 2. ff. de Incend. ruin. naufr.* Weſenb. *cit. loc. n. 3.* Zœſ. *d. loc. n. 1.* Hodie gravior animadverſio & quandoque capitalis pœna hoc caſu obtinebit. Petr. Peck. *ad tit. de Incend. ruin. naufr.* Add. Perez. *ad C. tit. de naufr. n. 30.*

§. 3.

(3) Combuſtis per Incendium ædibus Domino idem jus remanet in cæmentis & area, quod ipſius fuit ante combuſtionem, area ſiquidem remanet, quæ eſt maxima pars domus. *l. 98. §. 8. ff. de ſolut.* & principale, ſine quo ædificium eſſe & ſubſiſtere nequit. Hinc quamvis domus pignori data vel vendita exuſta ſit, nihilominus creditori & emtori idem jus ſalvum manet. *l. 29. §. 2. ff. de pignor. l. 21. ff. de pigner. act. l. 21. in fin. ff. de hæred. vel. act. vend.* Magn. Dn. Struv. *Ex. 26. th. 49.* Add. Dn. Carpz. *Dec. 22.* ubi tradit, combuſtis ædibus durare hypothecam in cæmentis alio translatis. Jung. Wiſſenb. *ad ff. p. 1. D. 40. th. 37. in fin.* Porro licet ædificium ſerviens Incendio perierit, ſi tamen aliud exſtruatur, æquitas exigit, ut ſervitus prædialis reſtituatur. arg. *l. 20. §. 2. l. 31. l. 33. de ſerv. U. P.* Secus eſt, ſi alicui tantummodo ſervitus perſonalis competat, ut uſusfructus, vel uſus ædium &c. *l. 5. §. 2. l. 10. §. 1.*

Quidnam juris in cæmentis & area combuſtis ædibus remaneat?

*ff. quib. mod. uſufr. amitt.* Ratio differentiæ eſt, quod ſervitutes prædiales perpetuo comperant, quare, in præjudicium ædium dominantium, collapſæ ædes ſervientes aliter exſtrui, quam antea fuerunt, nequeunt; Uſusfructus vero & uſus potius in ſuperficie conſiſtunt, ergo ſublatis ædibus, ſimul jus illud interit. §. 3. *Inſt. de Uſufr. d. l. 5. §. 2. ff. quib. mod. Uſufr. amitt.* Et quidem in tantum, ut nec areæ nec cæmentorum uſusfructus debeatur. *d. §. 3. & l. 5. §. 2. jamdum alleg.* etiamſi domus combuſta reſtituta ſit. *l. 10. §. pen. ff. quib. mod. uſusfr. amitt.* Garſ. *de Expenſ. & Melior. c. 11. n. 19.* Zœſ. *ad ff. tit. quib. mod. uſusfr. amitt. n. 20. & 22.* Hillig. ad Donell. *lib. 10. c. 18. lit. C.* Magn. Dn. Struv. *Diſſ. de ædif. privat. th. 70.* Accedit hoc, quod uſusfructus contineat omnem utilitatem, & uſus quotidianum commodum ædium, ut ita iniquum ſit, ædium incendio conſumtarum, magnis ſumtibus Domini reſtitutarum, uſumfructum redintegrari. Joh. Del. Caſtill. *de Uſufr. c. 72. n. 15. & ſeq.* Magn. Dn. Struv. *Ex. 13. th. 54.*

## §. 4.

*An Inſtrumento per Incendium perdito intercidat obligatio?*

Quæri hac occaſione poteſt: An omiſſo inſtrumento per Incendium intercidat obligatio, ut debitum peti nequeat? Reſp. quod non, quia inſtrumentum ad ſubſtantiam contractus non pertinet, ſed ad rei geſtæ fidem, nec inſtrumentis res geritur, ſed ideo inſtrumenta conficiuntur, ut geſta res facilius probetur. *l. 12. C. de probat.* Quapropter amiſſio inſtrumenti fortuita non nocet Creditori, nec amiſſio Apochæ nocet debitori, quo minus amiſſo inſtrumento agere vel ſolutionem prætendere queat, dummodo aliunde conſtet & probari poſſit inſtrumenti tenor

nor. *l.1.C.de fid. Inſtrum. ibique* Dn. Brunnem. Quin etiam admittendus eſt Creditor ſeu Debitor, ſi debitum aut ſolutionem jurato obtinere velit, ne, ob defectum probationis, debito citra culpam ſuam carere, vel idem bis ſolvere cogatur, quod ſane iniquum eſſet. *l.5.C.eod.ibique* Dn. Brunnem. Perez. *ad Cod.tit.de fide Inſtrum.n.2.in addit.* Non aliter tamen hoc procedit, quam ſi juſſu ſive permiſſu Judicis juramentum interponatur, uti tradit Dn. Carpz. *p.4. Conſt. 17. def. ult. it.p.1.Pr.Crim. qu.39.n.71.* Illuſtrat hoc elegans Scabin. Lipſienſ. Reſponſum, *M. Jun. 1611.* ad Conſultat. Senat. Marienbergenſ. latum, quod exhibet Dn. Carpz. *cit. loc.* Quapropter etiam hoc receptum eſt, ut juſſus exhibere inſtrumenta vel documenta, ea vel edere, vel probare debeat, ſe illa documenta non habere, nec doloſe vel malitioſe habere deſiiſſe. *l.ult.C. de fid. Inſtrum. ibique* Dn. Brunnem. Rutger Ruland. *de Commiſſar. p.2.lib.5.c.25.* Dn. Carpz. *p.1.Conſt.17.def.28.* Quod confirmat. Ordin. Proceſſ. Jud. Elect. Sax. *tit.26.* in verb. Iſt durch üblichen Brauch der Gerichte dieſer Lande eingeführet/ daß der/ von welchem die Edition begehret wird/ eydlichen zu betheuren ſchuldig/ daß er ſolche documenta bey ſich nicht habe/ nach gefährlicher weiſe von abhanden kommen laſſen/ &c. Quid ſi vero negotium neceſſario ſcripturam requirat, ut ſi ab initio placuerit, in ſcriptis contrahi, quid Juris inſtrumento Incendio perdito obtineat? disquiritur. Reſp. ne hoc quidem caſu intercedit obligatio, ſi modo aliter fides fieri poſſit, uti cum Sichard. *ad l.1.C.de fid. Inſtrum.* ſtatuit Dn. Brunnem. *ad d.l.1.* Magn. Dn. Struv. *Ex.28.th.34.* Quamvis enim ſcriptura ad eſſentiam

contractus in ſcriptis celebrandi requiratur, poſtquam tamen hic ſemel in eſſe deductus eſt, non tollitur amiſſo inſtrumento, modo alias probari poſſit, & teſtes, ſi per illos probatio ſuſcipiatur, ſint periti, & ſciant, quid ad eſſentiam inſtrumenti requiratur, quod arbitrio Judicis trutinandum relinquit Gilken. *ad cit. l. 1. num. 9.* Vid. Camill. Borell. *Tom. 2. Dec. collect. t. 5. n. 34.* Trentac. *lib. 2. Reſol. 4.* Vincent. Hondend. *Conſ. 19. n. 19.* Dn. Brunnem. *cit. loc.*

§. 5.

Magiſtratus num ad ædes reficiendas aliquem cogere poſſit?

(4) Sub fine Diſſertationis noſtræ notandum eſt, quod Magiſtratus ad ædes Incendio conſumtas reficiendas incolas compellere, & detrectantes remedio competente ad hoc adigere poſſit. *l. 7. ff. de off. Præſ. l. 8. C. de ædif. priv. l. 46. pr. ff. de dam. inſect.* Reip. enim, ſimulque aliorum Civium maxime intereſt, vicinas ædes reſtitui, nec in aliam faciem, hortum ſcil. converti. *l. 2. C. de ædif. priv.* Quod ſi vero res anguſta domi obſtat, quo minus Dominus ædes reficere poſſit, poteſt cogi ad vendendam aream alteri; vel etiam ſi emtorem non inveniat, Reſp. tantum ipſi ſubminiſtrabit, quantum ad reparationem damni ſufficit, ceu docet Speculat. Hinc laudabiliter ſane Principes erga ſubditos, quorum bona & prædia incendio conſumta ſunt, ex æquitate benignos ſe gerunt, remittendo onera conſveta ad certum aliquod tempus, & alias ad ædificia nova exſtruenda ſuppetias ferendo. Porro (5) licet donatio, quæ quingentos excedit ſolidos, non valeat, niſi ſit inſinuata. *l. 35. in fin. l. 36. §. ult. l. 27. C. de donat. §. 2. Inſt. eod.* Dn. Brunnem. *ad l. 34. pr. C. eod.* Perez. *ibid. n. 28.* Gail. *2. obſ. 39.* Wiſſenb.

An donatio facta ad ædes incendio conſumtas reficiendas ſit inſinuanda?

ſenb. *ad ff. p. 2. D. 16. th. 13.* Magn. Dn. Richter/ *p. 1. Deciſ. 22. num. 57.* Magn. Dn. Strauch. *Diſſ. 8. aph. 24.* Nobil. Dn. Bechmann/ *Tom. 2. p. 1. Ex. 13. num. 115.* quibus ſolidis hodie quingenti Hungarici reſpondent, ſecund. Novell. Elect. Auguſt. *p. 2. Conſtit. 14.* §. So aber. Vid. Moller. *lib. 1. Semeſtr. 37. num. 2.* Dn. Carpzov. *part. 2. Conſt. 12. def. 12.* Magn. Dn. Struv. *Ex. 40. th. 10.* Magn. Dn. Richter/ *d. Deciſ. 22. num. 59.* Dn. Philipp. *in Uſu Pr. ad Inſt. lib. 2. Eclog. 37.* vel etiam aurei Rhenani, ſecundum conſvetudinem cujusque loci, quæ hic obſervanda. Dn. Hahn. *ad Weſenb. tit. de donat. n. 6.* excipitur tamen ex commiſeratione & pietate donatio facta his, quorum domus Incendio conſumtæ ſunt, ut inſinuatione non indigeat. *l. 36. §. 2. C. de donat.* Zœſ. *ad ff. tit. de donat. n. 46.* Perez. *ad C. eod. num. 35.* Anton. Gabriel. *lib. 3. de donat. concl. 1. n. 28.* Dn. Hahn. *cit. loc.* Add. Dn. Brunnem. *ad d. l. 36. §. 2.* Magn. Dn. Struv. *cit. loc. th. 11.* modo donatarius non in aliam rem, quam in refectionem ædium Incendio conſumtarum pecuniam expendat, id quod juramento ejus committitur. *d. l. 36. §. 2. ibique* Dn. Brunnem. Perez. *ad Cod. cit. loc. num. 34.* Alios caſus, quibus propter favorem cauſæ inſinuatio donationis ceſſat, proponunt Schneidevv. & Harpr. *ad §. 2. Inſt. de donat.* Gail. *2. Obſ. 39.* Dn. Hahn. *cit. loc.* Magn. Dn. Struv. *laud. th.* Magn. Dn. Strauch. *Diſſ. ad Jus Juſtin. 8. aph. 24.*

§. 6.

Denique notandum, quod crimen Incendii, de quo fuſius *cap. 3.* dictum, elidatur præſcriptione viginti annorum, quæ præſcriptio, niſi aliud de Jure Civili definitum ſit tempus, omnia delicta tollit. *l. 3. ff. de requir. vel abſent. damnand. l. 12. C. ad L. Cornel. de falſ. ibique* Dn

Quænam præſcriptio Incendii crimen tollat?

Dn. Brunnem. Sicut enim in civilibus cauſis præſcriptio neceſſaria viſa eſt, ut eſſet litium aliquis finis, nec ſemper incerti manerent cives de dominio rerum ſuarum; Ita eadem neceſſaria viſa eſt in cauſis criminalibus, ut aliquis accuſationum eſſet finis; nec ſemper criminis alicujus accuſantur. Damhoud. *in Prax. Crim. c. 8. n. 28.* Dn. Brunnem. *cit. loc. ibique all g.* Boer. *decis. 26.* Dn. Carpz. *p. 3. Pr. Crim. qu. 141. n. 6. & ſeq.* Magn. Dn. Struv. *Ex. 49. th. 92.* Eodem modo civilis actio incenſarum ædium, quæ deſcendit ex actione L. Aquil. ad inſtar cæterarum actionum, præſcriptione conſveta tollitur. Vid. *l. 3. C. de præſcript. 30. vel 40. ann. ibique* Dn. Brunnem.

## Concluſio.

Et tantum de triſti & funeſta hac Incendii materia dictum ſufficiat. Fatemur multa adhuc reſtare, quia tamen præter expectationem Diſcurſus hic excrevit, omittenda hac vice fuerunt. Noſtro labori, Sciagraphice hanc materiam ſpinoſam proponenti, Cenſuram apprecamur placidam; Sicubi quoque in nonnullis Conatus defeciſſe videbitur, quod ſane agnoſcimus, condonetur, rogitamus. Defectus enim intervenire humanis rebus, humana ſors eſt. Tibi vero, æterne Deus! pro gratioſa aſſiſtentia & omni tempore beneficiis præſtitis ſit laus & gloria, quoad vitam, devotiſſima.

TANTUM.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-9575-p0065-9